



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

Dissertatio III. In Qua refutantur, quæ Maimburgus in favorem secundæ
Propositionis Parisiensis producit, conatúrque Romanum Pontificem
Concilio Generali submittere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

DISSERTATIO III.

In

Qua refutantur, quæ Maimburgus in
favorem secundæ Propositionis Parisiensis pro-
ducit, conaturque Romanum Pontificem Concilio
Generali submittere.

§. I.

Refelluntur Maimburgi argumenta ab ex-
emplis Leonis, Vigilij, Honorij, Siricij, Silvestri
Pontificum, & Concilij Arelatensis petita.

SUMMARIA.

1. Concilia si Acephala sint, aut Pontifici opposita, aut ab eo non confirmata; non esse certa Spiritus Sancti organa, nec erroris expertia, idque testimonio Patrum, ipsiusque Maimburgi, & rationibus probatur.
2. Majorem esse Pontificis, quam Concilij auctoritatem, verbis exemplisque probatur Leonis Magni, frustra Maimburgo circa unum, alterumve Leonis verbum rixante.
3. Pertexitur Vigilij historia. Nestorij mores, promotio, hereses, damnatio, extrema.
4. Nestorij libri edicto Theodosij flammis cremati, eorum loco à Nestorij Clientibus Theodori Mopsuesteni scripta varijs linguis vulgantur.

A Euty-

2 Dissert. III. §. I. Refelluntur Maimburgi argumenta,

5. Eutychetis error, & Concilium Chalcedonense, in quo Theodoros Cyri, & Ibas Edesse Episcopi absoluti, & quas ob causas?

6. Bellum tribus Capitulis indictum odio Eutychianorum Concilio Chalcedonensi adversantium. Vigilus consilij anceps in omnem se partem versat, fugitque Theſsalonicam.

7. Concilium Constantinopolitanum. Vigilij pro tribus Capitulis constitutum, & rationes. Tria capitula in Concilio Constantinopolitano damnata, cui & Vigilus subscripsisse fertur concordie studio.

8. Causam trium Capitulorum nihil ad fidem spectasse, Gregorij, & Pelagij Pontificum, & totius ferè Occidentis testimonio, exemploque probatur, qui in causa trium capitulorum oblucri Concilio Constantinopolitano non prius destitit, quam Pontificum auctoritate vinceretur. Nec Vigilium mutatis toties sententijs errasse.

9. Honorij PP. innocentia multis modis ostenditur: ac etiam si admittas hereticum fuisse, nihil contra Pontificum auctoritatem concludi.

10. Ex Concilio Arelatensi nihil contra Pontificis auctoritatem colligi, sed multa pro illa, ubi etiam Maimburgi errores notati; & luculentissimum Zosimi Pontificis testimonium.

11. Siricij quoque Exemplum nihil contra Pontificis auctoritatem, sed pro illa potius militare.

12. Ex Gerberti Historia stabiliri potius Pontificis auctoritatem, quam everti; & quam malâ fide eam recitet Maimburgus.

I.

More suo Maimburgus prælium initurus ingenti buccinato pugnae præludit, videlicet: (a) Nunquam elapsis retro annis in Ecclesia dubitatum esse, quin Concilio universali Pontifex subderetur: hanc unicam & veram causam esse, cur elapsis temporibus de hac questione altum silentium fuerit; id se verò factis exemplisque

(a) Maimb. Traittè Histor. fol. 197.

plisq̄ue probaturum, quibus opponere nihil possis. Sic ille ingenti pompā verborum aures auditorum animosq̄ue captans. Cæterum quā malè hujus Auctoris promissa rebus ipsis respondeant, floresq̄ue Autumnī æmulentur colore tantum nobiles, & fructuum steriles; jam Lector didicerit quā plurimis experimentis, & quæ mox dicam, adhuc clariùs aperient.

Subesse Concilia Romano Pontifici in Regali Sacerdotio (a) copiosè probatum est, idque scripturæ & Conciliorum tam claris testimonijs, ut planè responderi ad ea nihil possit: nec ipse Maimburgus aliquid reperit, quod opponeret tam evidentibus argumentis, & idè illa omnia silentio transmissit, fugam quā prælium malens desperatā victoriā; nihil eorum, quæ illic dicta sunt, repetendum duxi, sed solum quæ Maimburgus scripsit, examinabo, temporis ac verborum parcus, & unicæ veritati intentus; ergo rem ipsam aggredior.

Opponit. (b) Spiritus Sanctus est, qui in Concilijs Oecumenicis loquitur, & cui soli infallibilitatem Concilij debemus; quemadmodum plurium ac discordium vocum concentus, & harmonia, non organis, non fistulis, sed artificii, ac Musico debetur instrumenta moderanti, & idè in decisione ac Decretis primi Hierosolymitani Concilij hæc verba leguntur: *Visum est Spiritui Sancto & nobis.* Anima ergo Concilij est Spiritus Sanctus, atqui Pontifex Romanus subest Spiritui Sancto, ergo etiam subest Concilio, cujus voces & Decreta, sunt voces & decreta Spiritus Sancti.

12. Verum est Spiritum S. per Concilia loqui, & voces Concilij Universalis voces esse Spiritus Sancti juxta illud Christi Domini: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris mei, qui loquitur in vobis.* Cæterum non omne Concilium est aptum organum Spiritus Sancti, nec omnes Concilij voces sunt Spiritus Sancti; quis enim dicat Decreta Conciliorum Ariminensis, cui 400. Patres assederunt, Ephesini secundi, cui 128. Antiocheni, Basileensis, aliorumque, in in quibus toties, tam graviter erratum est, à Spiritu Sancto fluxisse? & de quibus Gregorius Nazianzenus (c) conquestus est: *Nunquam sine periculo & offensione Sacerdotum haberi Conventus, & nullius Concilij finem*
latum

A 2

(a) Regal. Sacerdot. l. 2. à f. 275. (b) Maimb. cit. cap. 17. fol. 201. (c) Gregor. Nazianz ep. 55. ad Procop.

4 Dissert. III. §. I. Refelluntur Maïmburgi argumenta.

latum, faustumque visum à se esse. Sicut ergò non omnis fistula canenti apta, ita nec omne Concilium est aptum organum loquentis Spiritus Sancti: sed illud tantùm, quod Oecumenicum est, quod legitime convocatum, approbatumque à Romano Pontifice, ut alibi probatum est. Quomodo enim erit Concilium Universale, quod integrum non est? quomodo autem integrum, cui Caput deest? integrum Templum fundamento destitutum? Integra Familia Oeconomi aut Vicarij expers? Cùm ergò Pontifex Romanus sit Caput, fundamentum, & Paterfamilias Ecclesiae; tam non potest sine illo, ejusque assensu Concilium dici Universale, legitimum, integrumque, quàm non potest exercitus sine Duce, domus sine fundamento, familia sine Oeconomo integra dici. Apparuitque id ipsum in prima Illa Synodo Hierosolymitana, quam merito exemplar omnium aliarum dicas; in qua licet omnes Spiritu Sancto abundarent, non prius tamen vox Spiritus Sancti audita, aut contentiones pacatae, quae Sanctos Antistites agitabant, quàm Petro sententiam praeloquente, ac viam Spiritui Sancto parante.

Audi sacrum textum. (a) *Conveneruntque Apostoli & seniores videre de hoc verbo: (b) Cùm autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: quid tentatis DEUM imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Tacuit autem omnis multitudo. Ubi vides prius Concilium varijs opinionibus agitarum esse, quàm Petrus loqueretur: postea eo sententiam proferente, lite jam velut finita, omnium silentium esse consecutum. Haec etiam causa fuit, ut saepe à Patribus dictum sit, nullum valere Concilium, nullòsque Canones praeter Romani Pontificis auctoritatem sanciri posse; quia videlicet credebant Patres, ut animam in corpore capitis experte mutam esse; ita nec Spiritum Sanctum in Concilij loqui, nisi per caput Ecclesiae, quod est Romanus Pontifex. Audi eorum verba. Patres Concilij Romani sub Damaso PP. (c) *Numerus Episcoporum, qui erant Arimini congregati, praesertim cum formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cujus sententia ante omnia expectanda erat, nec Vincentio, neque alijs consentientibus. Et Gelasius I. Cognoscant igitur illud secundum scripturas sanctas, traditionemque Majorum, secundum**

Ca-

(a) Actorum 15. (b) Patres Concil. Roman. Anno 359. (c) S. Gelasius Tom. 9 de Anath. Vinc. ab init. T. 2. Concil. Obijt Anno 496.

Canones regulasque Ecclesia, pro fide communi & veritate Catholica & Apostolica, pro qua hanc fieri Sedes Apostolica delegavit, factamque firmavit, à tota Ecclesia indubitanter recipi (loquitur de Synodo Chalcedonenſi) alia autem, quæ illic prolata ſunt, vel potiùs ventulata, quæ Sedes Apostolica gerenda nullatenus delegavit, mox à Vicarijs Sedis Apostolica contradicte manifestum est. &c. Ubi vides illa tantùm ab Ecclesia recipi Concilia, quæ & quatenus à Sede Romana ſunt approbata, quæ verò & quatenus approbata & confirmata non ſunt, nec in Ecclesia recipi oportere.

Nicolaus I. (a) Denique in Universalibus Synodis quid ratum, vel quid prorsus acceptum, nisi quod Sedes B. Petri probavit, ut ipsi scitis: sicut e contrario, quod ipsa sola reprobavit, hoc solummodo constat hæcenus reprobatum. Et S. Leo IX. (b) Non lateat vos, non debere præter sententiam Romani Pontificis Universalis Concilium celebrari, aut Episcopos damnari, vel deponi; quia etsi licet examinare, definitivam tamen dare sententiam absque consultu Romani Pontificis non licet dare, quod in sacris Canonibus statutum potestis invenire. Scilicet, quia omnium Ecclesiarum Majores & difficilioreſ cause per sanctam Sedem definiendæ sunt. Socrates (c) de Concilio Antiocheno loquens: Julius Romanus Episcopus neutiquam aderat, nec quemquam, qui ejus locum suppleret, ed misit, cum Canon Ecclesiasticus habeat, non oportere absque sententia Romani Pontificis Decreta Ecclesijs sanciri. Et infra: (d) Julius Episcopus, ijs qui Antiochia convenerant, per literas respondit, eos contra Ecclesie canones egisse, cum Canon Ecclesiasticus vetet, ne Decreta absque sententia Episcopi Romani Ecclesijs sanciantur. Et Sozomenus: (e) Lex est ad Sacerdotij dignitatem spectans, quæ pronuntiat acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Episcopi Romani constituuntur. Si ergo ex Sanctorum Patrum, Canonumque sententia, quæ in Concilijs statuuntur, nisi à Romano Pontifice approbentur, irrita & nulla sunt, nec recipi ab Ecclesia debent; necessariò sequitur, ut Concilium Pontifice destitutum, aut quod pejus est, Pontifici oppositum, non esse Spiritus Sancti organum, sed falli & errare posse; qui enim sint voces & organa Spiritus Sancti, quæ irrita, quæ nulla sunt, quæ Sacris Canonibus adversa & prohibita, quæ recipi in Ecclesia non debent, quæ improbari possunt, quæque ultimam & definitivam sententiam expectant Romani Pontificis? Sic enim Patres loquuntur. Non ergo loquitur Spiritus Sanctus per

A 3 Con-

(a) Nicolaus I. PP. epist. 7. (b) S. Leo IX. ep. 4. Obijt Anno 1054. (c) Socrates lib. 2. hist. Eccles. c. 5. (d) Idem c. 13. (e) Sozom. lib. 2. c. 9.

Concilium Acephalum, & capitetruncatum, quale est, quod Pontifici aut opponitur, aut auctoritate illius & assensu caret. Errat ergo Maimburgus, cum scribit: (a) *Romanos Pontifices, cum Decreta Conciliorum confirmant, nihil aliud agere, quam ut votum suum & suffragium apponant, eadem omnino ratione, quâ alij Episcopi qui Concilijs interfunt, quique Concilio superiores utique non sunt: dicuntur tamen acta Concilij confirmare, cum illis subscribunt, suumque calculum addunt.* Sed ex productis supra testimonijs, quis non videt, quantum intersit inter confirmationem Romani Pontificis, aliorumque Episcoporum? si enim Romani Pontificis assensus & confirmatio æquè ac unius ex alijs Episcopis, non est absolute necessaria, cur ergo Patres, ipsique Canones toties reperunt, irrita, cassa esse Concilia, sacrisque Canonibus adversa, & prohibita, quæ neque recipi in Ecclesia debeant, nisi accesserit Pontificis confirmatio? quomodo irrita? quomodo cassa, si nihil necessarium illis desit? quod si confirmatio Pontificis nihil habet supra aliorum Episcoporum confirmationem, ergo dicentur cassa, irrita, prohibita, improbara Concilia, quibus votum unius aut alterius Episcopi, Tholosani v. g. aut Salisburgensis, aut Viennensis, aut Antiocheni non accesserit; quæ omnia & absurdissima sunt, & in Patribus, sacrisque Canonibus nunquam lecta, nunquam audita. Vides in quæ absurda animus ruat semel alienis affectibus tinctus, occupatusque, & veritati oclusus. Ergo antè Pontificis assensum imperfecta Concilia, nec satis certa, quæ in illis decreta sunt: idque ex principijs à Gallis & Maimburgo admissis omnino consequitur. Faretur enim in Tractatu historico de prærogativis Ecclesiæ Romanæ: (b) *Pontificis partes & munus esse, ut iudicium & sententiam ferat in causis majoribus, & fidem ac mores spectantibus; quod his verbis Gallicè expressit: C'est à lui de juger des causes majeures, comme sont celles, qui regardent la foy, & qui sont ambiguës, le costumes Universales, &c. dont le jugement lui appartient, & lui doit estre rapporté, &c.* Si ita est, & toties à Patribus inculcatur, ergo Summi Pontifices, cum Concilia confirmant, in quibus maximæ tantum causæ fidei morumque agitantur; non solum id agunt, quod reliqui Episcopi, hoc est, nudum suffragium & votum ferunt; (id enim non esset ulla prærogativa Pontificis Romani, cum ad singulos Episcopos pertineat) sed in-

(a) Maimb. Traitté histor. ch. 27. f. 209. (b) Maimb. Traitté histor. ch. 5. f. 61

super ultimum iudicium & sententiam dicunt, aded ut *probare aut improbare possint* à Concilijs Universalibus decreta, ut Nicolaus primus loquitur. Nec tamen frustra sunt Concilia: cum enim ad fidem stabiliendam, hæresesque debellandas, non sufficiat decernere, quid credendum sit, sed oporteat insuper rationes credendi in medium proferre, scripturas explicare, quæ ab hæreticis opponuntur, revincere, & manifestæ falsitatis arguere, quodque præcipuum est, de remedijs cogitare, quibus & infecti sanentur, & ad sanos pestis haud perveniat; quis non videt hæc omnia longè copiosius, rutiúsque à Concilio obtineri, ubi ex toto Catholico orbe Patres doctrinâ, pietate, ac experienciâ præcipui conveniunt, quàm à solo Romano Pontifice? nam & duo oculi plùs uno vident; & stellæ, quamvis à sole radientur, & hic solus etiam sine illis diem efficiat; habent tamen suos ac proprios influxus, quibus adjuvant solem, redduntque potentiorum Orbi gubernandò: hoc ergò Patres Pontifici, quod stellæ soli; lucent, juvantque, sed diem non reddunt.

Dices, Concilio Constantinopolitano primo nec per se, nec per Legatos Damasus Pontifex præfedit, & tamen pro Oecumenico & legitimo habitum est; ergò approbatio Pontificis non est Concilio necessaria.

Resp. Non interfuit quidem Damasus illi Concilio, quippe qui eodem tempore Synodum Romæ collegerat, ad quam & Orientales Episcopos evocavit; sed tamen certum est approbasse, & confirmasse, quæ in hac Synodo contra Arianos decreta sunt, id enim expressè Photius testatur libello de septem Synodis, & S. Gregorius M. l. 6. epist. 125. ubi scribit: *Non omnes ejus Concilij canones receptos à Romana Ecclesia esse: Canones, inquit, Constantinopolitani Concilij Eudokianos damnant; sed quis fuerit eorum auctor Eudoxis, minime ostendunt. Romana autem Ecclesia eosdem canones, vel gesta Synodi illius, hæcenus non habet, nec accipit, in hoc autem eandem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonianos definitum.* Hic Gregorius apertè testatur, non omnes illius Concilij canones à Romana Ecclesia receptos esse; supponitque penes Romanam Ecclesiam esse, quos Conciliorum Canones prober, improbèque: quomodo ergò major Concilij, quàm Pontificis auctoritas, si penès istum est Conciliorum canones alios falsi damnare, & rursus omnes

omnes examini subdere, an vero, an falso consentiant? planè non est hoc Concilio subdi, sed præesse, nec obsequi, sed imperare.

At, inquit Maimburgus: (a) *Si Decreta in Concilijs sancita nec certa sunt, nec vires habent, nisi post Romani Pontificis sententiam? ergò huius arbitrio steterit, utrum ad fidem aliquid pertineat: & si decretis Nicæni Concilij Silvester Papa abnuisset, ergò & Ariani hæretici non essent, & eorum errores æquè ac alias opiniones amplecti impudè ac sine culpa licuisset, qua omnia absurdissima sunt, & à nemine concessa.*

Resp. Si aliquid roboris huic argumento insit, non minùs Concilij auctoritatem, quàm Pontificis evertit. Quæro enim si Concilium Nicænum decrevisset, filium non esse æqualem Patri; an idèd pro vero haberi id debuisset? aut ante Concilij decreta liberum erat Divinitatem filio adimere? aut Arius nisi post Concilij sententiam hæreticus non fuit? quòd si dicas: hypothèsim illam esse impossibilem, & ut in scholis loquimur, de subjecto non supponente; neque enim Concilium errare posse, aut aliquid contra veritatem in scripturis revelatam definire; & Arium quidem, aliòsque hæreticos etiam ante Concilij sententiam fuisse, quippe qui veritati in scripturis expressæ, agnitæque oblectarentur, nec iudicio Ecclesiæ submitti vellent. Alios verò & pleròsque errasse quidem, non tamen ante Concilij sententiam hæreticos dici potuisse, cum parati essent veritatem admittere, si docerentur. Hæc igitur si tu dicas in favorem Concilij, ego multò magis, majorique jure in favorem dicam Pontificis, ejusque Confirmationis; Pontifici enim, non Concilio dictum: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Pontifici: Tibi dabo claves regni Cælorum. Pontifici: Ego pro te rogabo, ut non deficiat fides tua. Pontifici denique, non Concilio: Pasce oves meas.* Cùm ergò toties in scripturis habeamus Ecclesiam Pontifici regendam, docendamque; commissam esse: nunquam verò Pontificem Concilio aut Ecclesiæ regendum, pascendumque: cur non malis id dicere, quod scriptura dicit; quàm dicere, quod nunquam & nullibi dicit? Præfertim quia si Pontificis confirmationem removeas, unde constabit Concilium aliquod Universale & legitimum fuisse? unde vota libera non metu, non fraude, non pretio extorta, non ambitione aut contra æquitatem corrupta, ut in Concilijs Ariminensi, Ephesino,

Con-

(a) Maimb. Traittè hist. ch. 17. fol. 209.

Constantinopolitano, ac etiam Chalcedonensi, & Basileensi evenit? Quis me certum firmumque reddet, non æquè alia concilia errasse, aut erratura, si errarunt illa tot, tamque egregijs Patribus florentia? an credam historicis Concilium aliquod Universale & legitimum fuisse scribentibus? quasi verò errantibus Concilijs, & tot Patrum cohortibus unus alterque historicus errorum sit expers: aut fides mea, quæ Divina & certa esse debet, ac etiam, si oporteat, morte fancienda, ex unius aut alterius historici narratione pendeat. At Ecclesia Concilium recipit, & idèd legitimum ac Universale esse constat. Imò ut Ecclesia recipere teneretur, oportuit prius constare legitimum & Universale fuisse, unde autem id constabit, si Pontificis Romani auctoritatem & confirmationem submoveas? Deinde Ecclesia non solum recipit decreta, canonésque Conciliorum Universalium, sed etiam particularium, imò privatorum subinde Doctorum, non ergò sequitur Concilium legitimum & universale fuisse, quia ab Ecclesia receptum est. Patet ergò ex hætenus dictis, cum Pontifex confirmat, eam confirmationem non honorariam esse, aut aliorum Episcoporum Confirmationi parem, sed omninò & absolute necessariam.

II. *Opponitur 2.* S. Leo Magnus, quamvis opinionem Eutychetis hæresis damnasset, & duas in Christo naturas litteris ad Flavianum Patriarcham datis egregiè asseruisset, permisit tamen eandem Eutychetis causam in Concilio Episcoporum examinari tanquam in *pleniore iudicio*; imò ad Theodoretum scribens, sibi gratulatur, suam de duabus naturis sententiam à Concilio confirmatam, totòque Orbe receptam esse: sic enim in litteris ad Flavianum scribit: *Quia piè ac religiosè Christianissimus Imperator haberi voluit Episcopale Concilium, ut pleniore iudicio error aboleri possit.* Agnoscit ergò Leo Papa iudicium Concilij esse plenius & superius iudicio & sententiâ Concilij, sicque majorem hujus auctoritatem, quam illius esse. Idem S. Pontifex epistolâ ad Flavianum: (b) *Gloriamur, inquit, in Domino, qui nullum nos in nostris fratribus desiderium sentire permisit, sed quæ nostro prius ministerio desinierat, universa fraternitatis firmavit assensu, ut verè à se prodijisse ostenderet, quod prius ab omnium sede firmatum totius orbis iudicium recepisset.*

B rum

(a) Maimb. Traittè hist. ch. 18. fol. 213. (b) S. Leo epist. ad Flavian. 16.

sum examinari à Concilio posse; nec prius constare an à DEO pro-
dierint, quàm si totius Orbis recipiamur iudicio: quæ omnia ostendunt
Concilia supra Pontifices esse.

Resp. Auctoritatem Romani Pontificis multò Concilijs supe-
riorem esse, nemo clariùs ut Leo Magnus doctrinâ exemplòque
professus est; nec finem mirandi facio, Maimburgum in urbe Re-
gia, & sub oculis tot eruditorum, tantâ fiduciâ res compertissimas
negare, cavillarique circa apices verborum, cùm mens & sententia
Leonis sit apertissima, perinde ac si aliquis lucere solem negaret nu-
beculâ tantùm circa illum exortâ, quamvis aliàs mille radijs se
prodat. Audi Leonem & judica. Primò in illa ipsa epistola ad
Synodum Ephesinam data, quam Maimburgus citat, circa finem
hæc Leo (a) scribit: *Fratres nostros Julianum Episcopum, Renatum Presby-
terum, & Hilarium Diaconum misi, qui vice meâ sancto Conventui nostra fraterni-
tatis intersint, & communi nobiscum sententiâ, qua Domino sint placitura, consti-
tuant; hoc est, ut primitus errare pestifero damnato, etiam de ipsius, qui impru-
denter erravit, restitutione tractetur, si tamen sensus hæreticos, quibus imperitia
ejus fuerat irretita, plenè apertèque propriâ voce damnaverit.* Et Epistola ad
Concilium Chalcedonense: (b) in quo ejusdem Eutychetis causâ
discussa est. *Fraternitas Vestra, inquit, me Synodo existimet præsidere, qui
nunc in Vicarijs meis adsum, & jam dudum in fidei Catholica prædicatione non de-
sum, ut qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non possit
ignorare quid cupiamus. Unde fratres Charissimi rejectâ penitus audaciâ dispu-
tant contra fidem divinitus inspiratam, non liceat defendi, quod non licet credi,
cùm secundum Evangelicas auctoritates, Apostolicamque doctrinam plenissimè &
lucidissimè per litteras, quas ad Flavianum Episcopum misimus, fuerit declara-
tum, que sit de sacramento Incarnationis Domini Nostri pia & sincera confessio.* Et
Epistolâ 33. ad Pulcheriam Augustam: *Remoto longarum disputationum
labore Cyrilli Alexandrini Episcopi epistola acquiescat, & epistola mea ad Flavia-
num, quia & mea & SS. Patrum de Incarnatione concors per omnia & una Con-
fessio est, quam si quis existimaverit non sequendam, ipse se à compage Catholica
Unitatis abscindit.* Similia habet epist: 40 & 41. ad Martianum Im-
peratorem. Et 49. ad Pulcheriam Augustam. In quibus imita-
tus est Leo Cœlestinum Antecessorem suum, qui in commonitorio

Leg-

(a) Epist. Leonis ad Synod: 2. Tom. 2. Concil. (b) Leo in epist. 45. Concil.
Chalced.

Legatis suis ad Concilium Ephelinum dato, hæc clarissima & digna memoratu habet. (a) *Auctoritatem Sedis Apostolicæ custodite; siquidem & instructiones, quæ vobis tradita sunt, hoc loquantur, ut interesse Conventui debeatis: ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum sententijs judicare debeatis, non subire Examen.* Constat ex his omnibus Cælestinum & Leonem præscripsisse, quid credi, quid decerni oporteret, ut videlicet primò hæresis Eurychetis damnaretur, ut à doctrina litteris Cyrilli & Leonis comprehensa ne latum unguem discederent Patres, idque subpœna anathematis: ut disputationibus abstinere: ut Euryches verbo scriptoque hæresin recantaret, sicque cathedræ restitueretur: ut denique Legati de Patrum Concilijque sententijs iudicium ferrent; ipsi verò Pontificis Romani doctrinam minimè examini, iudicioque Concilij subderent: potestne aliquid dici imò cogitari, quod ampliùs Pontificis supra Concilium auctoritatem exprimat? aut qui sunt characteres superioris, si isti non sunt? aut quod unquam Concilium tales Pontificiæ auctoritati & Decretis Leges præscripsit, quales Leo Concilij? tantùmque abest, ut Concilium quereretur doleretque Leonem aliena usurpare, & auctoritatem Concilij debitam in se transferre, ut potiùs summis laudibus Leoni acclamaret, ejusque epistolas velut Cælo lapsas amplecteretur, ut videre est in actis Concilij *actione 2, circa finem.* Nec Leonis potestas intra verba stetit, sed processit in exempla. Cùm enim Patres fidei professionem concepissent, essetque omnium votis comprobata, soli Leonis Legati eam, quòd minùs perfecta, rejecerunt, Patrèsque quamvis obliuantes, ut aliam ederent, cœgère, idque imperio & auctoritate, manifestoque potestatis, quam in Concilium exercebant, argumento. Audi acta Concilij, *actione 5.* Omnes Reverendissimi Episcopi præter Romanos & aliquot Orientales clamaverunt: *Definitio omnibus placet; hæc fides Patrum: qui aliter credit, anathema sit.* Paschasinus & Lucentius Vicarij Sedis Apostolicæ dixerunt: *si non consentiunt epistole Apostolicæ Beatissimi Papæ Leonis, jubete nobis rescriptum dare, ut revertamur.* Vides hic iterùm tantum abesse, ut Leo doctrinam & epistolam suam examini Patrum Concilijque subdat, ut potiùs velit, aperteque & in pleno confesso profiteatur,

B 2

opor-

(a) Commonitorium Cælestini, nuper editum per Steph. Balluz. ex M. S. Colbertino.

oportere, ut Patres ad normam, mentemque Leonis decernant; estne rogo discipulum hoc agere, an Magistrum? obsequi, an imperare? Si Pontifex Concilio subest, cur imperat? cur à toto Concilio probata improbat reijcitque? cur compellit Concilium oblitescere jam ab omnibus decreta & nova proferre? cur suam Epistolam pro norma præscribitque, eique Concilium alligat, nec patitur ab ea recedi? paruitque Concilium, & aliam edidit fidei Professionem, quæ habetur *actio. 6.* Eâdem auctoritate Pontificis Legati canonem 28. Synodi Chalcedonenfis irritum, cassumque voluerunt, quo videlicet primus locus post Romanum Pontificem Alexandrino debitus Archiepiscopo Constantinopolitano cedebatur, quo iterum ostendere, Pontificem non subdi, sed imperare Concilio, & rescindere ab isto perperam facta. *Vide Actionem 15. Con. Chal: circa finem.* Jam Lectoris iudicium esto, quàm verè Maimburgus dixerit, Leonem doctrinam suam Concilio examinandam permisisse, cum potius eam pro norma & amissi Concilio præscripserit, vetueritque ab ea recedi: quis dicat Lydium lapidem ab auro, perpendicularum à pariete examinari, & non potius contrarium?

Cur ergò dixit Leo, Concilij iudicium plenius esse, ab eoque aboleri errores oportere?

Resp. Quia licet Concilium oppositum Papæ, aut ab ipso non confirmatum, sit infra Papam; conjunctum tamen, & approbatum à Papa, multò perfectius, utiliùsque est, quàm solum Papæ iudicium, ut etiam supra monuimus: nec verò quæstio est, an Concilium confirmatum à Papa sit infra aut supra Papam (hæc enim quæstio est meri nominis, & theoretica, ac ferè illi similis, quam speculativi in scholis agitant, an videlicet DEUS solus sit majus bonum, quàm DEUS & creaturæ) sed an Concilium à Papa non confirmatum, imò Papæ oppositum sit supra Papam, eique imperare possit; unde patet, ne stat ut quidem quæstionis Maimburgum intellexisse, qui ergo scopum tangeret nunquam visum? Quemadmodum ergò licet Rex sit supra Senatum, nec aliqua sit contra Regiam voluntatem auctoritas Senatûs: si tamen Rex in senatu & cum senatu agat, nemo dubitat, multò ejus diplomata meliora & perfectiora fore (utpote tot aliorum consilijs & instructionibus acuta) quàm si à solo prodeant. Idem de Pontifice dicas, præsertim in causâ Eutychetis; in qua cum non solum ageretur de Decretis fidei scribendis

bendis: sed etiam de modo hæreticos convincendi, exarmandi, Eutychem restituenti, Imperatorem ne perverteretur (nam pestis jam aulam penetraverat) edocendi, quis non videt hæc omnia multò securiùs perfectiùsque à Concilio Græcorum Patrum, quàm Romæ à Leone tot rerum ignaro peractum iri? præsertim cum Dioscorus, alijsque, qui Eutychem studebant, ausi essent in Leonem sententiam proferre; non ergo eum iudicem paterentur, quem ipsi reum damnatumque peregerant: prudentis ergo fuit celare potiùs, quàm exponere Majestatem. Quòd verò Leo Pontifex sibi grateretur, sententiam suam de duplici Christi natura à Concilio receptam esse, idè est, tum quòd multi, qui discordias quàm pacem malebant, Leonem non eadem cum Concilio sentire iactarent, quòd ipse Leo in epistola (a) ad Martianum Augustum testatur: tum quia ut idem Leo in epistola ad Theodoricum se explicat; etiam quæ fidei sunt, quæque omne dubium excludunt, examinari possunt, non eà quidem ratione, ut eis subesse fallum suspicemur; sed ut clarè intellecta, & cum ratione & scripturis collata tantò meliùs firmiùsque animo hæreant. Quàm multa in scripturis examinamus? nec idè dubij, sed avidi veritatis; audi ipsum Leonem (b) in eadem epistola ad Theodoricum: *Ipsa quoque veritas, & clariùs enitescit, & fortiùs retinetur, dum, quæ fides priùs docuerat, hæc postea examinatio confirmaret.* Cæterùm persuasum fuisse Leoni, non Pontifices Concilio, sed Concilium Pontificibus subdi, manifestum est ex superiùs dictis, & ex auctoritate, quam in concilium Chalcedonense Leo exercuit, expressitque clarissimè in epistola ad Theodoricum, quam citat Maimburgus: cum enim Leo gratulatus sibi esset, Concilium in eandem secum sententiam conspirasse, hæc subjungit: *Ut in hoc quoque capite membra concordent, in quo ampliùs nobis crescit gaudendi materia.* Et post pauca: *Multum denique Sacerdotalis officij meritum splendescit, ubi sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas.* En hìc iterùm apertè Leo profitetur Pontificem in Concilio Universali partes Capitis agere; reliquos Episcopos membra esse; si Pontifex illius sacri corporis Caput est, ergo ad eum pertinet dirigere, gubernare, movere; ad Patres verò dirigi, gubernari, moverique.

Rursus per ea verba: *Sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum*

B 3

(a) Epist. Leon. ad Mart. Aug. 63. inter ep. SS. PP. (b) Leo ep. 67. ad Theodoric.

ramputetur imminuta Libertas. Clarissimè ostendit supremam in Concilio potestatem penes Pontificem esse, Patres verò inferiores, subditosque; & tamen Maimburgus, cum superioritatem Pontificis tam luculenter in epistolis Leonis expressam videat, & quod majus est, clarissimis exemplis in conspectu Chalcedonenfis Concilij exercitiam probatamque: hæc omnia silentio tegit, cum duobus aut tribus verbis rixatur, aquam in pumice & victoriam in syllabis quærens; quæ tamen ut vidimus, & ipsa nihil ad rem faciunt.

III. *Opponitur 3.* (a) Exemplum Vigilij Pontificis: hic enim cum constitutionem edidisset, quæ tria Capitula comprobabat, verabaturque, ne à quoquam mortalium damnarentur; Concilium Constantinopolitanum quintum & Vigilij Constitutionem, & doctrinam trium capitulorum examinandam suscepit, damnavitque oblucente primùm Vigilio, ac tandem Concilio cedente. Si ergò Concilium examinat damnatque, quæ tanto studio, tantæque animi contentione ac solempni diplomate Vigilius decreverat; oportet utique majorem esse Concilij, quam Pontificis auctoritatem, & hunc illius judicio subjacere. Vigilij verba in Constituto ad Imperatorem Justinianum inter alia hæc sunt: (b) *Apertissimè lucet veritate ex verbis epistola venerabilis Ibæ rectissimo ac piissimo intellectu perspectis, Patres nostros in Chalcedone residentes rectissimè orthodoxam ejusdem viri fidem pronuntiassè, & ideo præsentis sententia vestra auctoritate statuimus atque decernimus, cum in omnibus, tum etiam in memorata venerabilis Ibæ epistola intermeratum Patrum Chalcedone residentium manere judicium.* His verbis Vigilius non solum Personam Ibæ, sed etiam ejus epistolam, quamvis mille blasphemijs plenam hæresi absolvit, & in mitiorem partem explicat, idque obtentâ Concilij Chalcedonenfis auctoritate. Additque in fine Constituti: *Si quid verò de ipsam tribus Capitulis contra hæc, quæ hic asserimus vel statuimus, factum, dictum atque conscriptum fuerit, hoc modis omnibus ex auctoritate Sedis Apostolica resutamus. En Vigilium ex Cathedra decidentem!* & tamen Concilium œcumenicum Constantinopolitanum à tota Ecclesia receptum, cultumque contrarium omninò decedit, sic enim loquitur: (c) *Si quis defen-*

(a) Maimb. Traité Hist. ch. 18. fol. 216. & ch. 17. fol. 89. & ch. 11. fol. 148. & hist. du Pontific. de S. Gregor. l. 1. f. 31. (b) Constitutum Vigilij non procul à fine apud Baron. ad Annum 553. n. 196. (c) Concil. Œcum. 5. collat. 3. cap. 14.

Defendit epistolam Iba, quam ad Marim Persam hæreticum dicitur Ibas scripsisse, que abnegat DEUM Verbum ex Virgine Maria incarnatum, & eam non anathematizat, & qui præsumit eam defendere, vel insertam ei impietatem, nomine sanctorum Patrum, vel Concilij Chalcedonenfis, anathema sit. Concilium ergò non damnat solum, sed etiam anathemate punit Vigilium ejusque constitutum. (a) Et Pelagius II. ac Gregorius Magnus apertè Vigilium ignorantia errasse profitentur, ac postmodum meliora editum Concilij sententiam amplexum esse, Constituto, quod prius ediderat, enixè damnato. Patet ergò tot Pontificum, qui post Vigilium sedere, imò totius Ecclesiæ consensu, quæ tria capitula damnavit; & Pontificem errasse, & à Concilio correctum, imò percussum esse anathemate, & rursus Pontifices infra Concilium esse, & ab isto judicari posse, puniri que.

Resp. Multum spei collocat Maimburgus in Constituto causæque Vigilij: ea verò qualis fuerit, aliis reperemus, atque ut clarior veritas appareat, omnia per annos distinguuntur. Anno CCCCXXVIII. Sisinio Episcopo Constantinopolitano morte sublato, Theodosius imperator ex Populi voto Nestorium sufficit Presbyterum & Monachum Antiochenum. Pietas illum Zelusque adversum hæreticos, & vis eloquentiæ omnibus commendaverant: sed ut notat Theodoretus, ingentem ambitionem, quæ infulas captabat, his dotibus texerat simulatâ virtute. Nata ex ambitione se ostentandi cupido, veterumque contemptus: & novorum, quæ magis animos stringunt, ingens prurigo, ac tandem hæresis. Dicebat in Christo ut duas naturas, ita duas Personas esse, Divinam, humanamque, & ita DEUM nec conceptum, nec natum ex Virgine, nec passum, mortuumque, sed hominem solum. Latuit aliquandiu venenum tum dulcedine orationis, quæ errores condiebat, tum opinione virtutis, quæ populum occupaverat externa spectantem, ignarumque occulti. Anno CCCCXXIX. Nestorius hæreses suas palam expromit, binisque litteris à Cyrillo Alexandria Episcopo erroris monetur. Sequenti proximè anno collectâ Romæ synodo Celestinus Pontifex Nestorium infulis privavit; Cyrillo prosecutionem causæ, suasque vices delegat. Hauerat

(a) Pelagius II. ep. 7. quæ est 3. ad Episc. Istr. Gregor. M. lib. 3. ep. 2. 3. 4. 37. & lib. 7. ep. 10. 53.

ferat virus à Theodoro Mopswesteno Nestorius Chrysofomi quondam in Monasticis collega. Anno, CCCCXXXI. Nestorij causa in Ephesina Synodo agitur, & ipse cum ne quidem adesse dignaretur quamvis vocatus, hæresis damnatus, ac Episcopatu exutus est: libri flammis additi. Supervenit post quintum diem Joannes Episcopus Antiochenus jam olim Nestorio amicus, iraque in Cyrillum fremens, antiqua quippe æmulatione Alexandrinæ & Antiochenæ Sedis, ac recenti odio ob amici casum, præsertim quòd à Patribus expectatus non esset, pugnam instaurat, sublevatque Nestorium varijs in Cyrillum Patresque conjectis calumnijs; sed momentaneum solatium; quippe fraudes detectæ, & Nestorius primò in Monasterium, tum in exilium ejectus, ubi lingua vermibus exesâ, solutòq; putredine corpore vitam absolvit, Joannes & ipse à Patribus damnatus, dejectusque, semper tamen ei mora penitendi data: nam & spererat clementiâ flecti posse; motus verò, ne si durius haberetur, totam Syriam desperatâ veniâ perverteret: responditque eventus, nam sequenti anno Joannes Nestorio, hæresisque abjuratâ, cum Romano Pontifice primùm, mox cum Cyrillo in gratiam redijt, junctisq; dextris in Nestorium duxit.

IV. Anno CCCCXXXV. Theodosius lege latâ Nestorij libros, quibus hæresin propagabat, cremari jubet; at qui Nestorio studebant, Theodori Mopswesteni libros evulgant, Syriacâ, Persicâ, Armenicâque lingua conscriptos, quòd à pluribus legerentur. Theodorum pietatis & doctrinæ species, & ex istis veneratio celebrem reddiderant; at eodem, quo Nestorius veneno turgebat, imò à Theodoro Nestorius acceperat; ergò mutato solum nomine eadem pestis serpebat. Accensa, ut fieri amat partium studia, alijs Theodorum laudantibus, detestantibus alijs, quippe qui eosdem in Theodoro errores agnoscerent, aliâ quidem larvâ, sed eodem vultu parique fœditate. Fuerat inter præcipuos Theodori, Nestorijque cultores Theodoreus (a) Cyri Episcopus, vir pietate & doctrinâ insigni, sed pari in Cyrillum odio, & cujus capitula instinctu Joannis Antiocheni confutaverat; sed tandem veritati cedens, & Nestorium, cujus amicitiam coluerat, detestatus est, & Cyrillo placatur, ut ex ejus scriptis apparet.

V. Anno

(a) Theodoret. ep. I. ad Sperad. & 83. ad Dioscor. & l. 4. ad Nestor.

V. Anno CCCCXLVIII. Eutyches Archimandrita dum nimio inconsultoque ardore Nestorium persequitur, in aliam hæresim impingit, docetque, ut unam in Christo Personam, sic unam naturam esse; nec abstinet monitus quamvis à Flaviano Episcopo Constantinopolitano, damnatusque repetita Synodo: sed obstinaverat animum, aut pretio sui, aut aulæ patrocínio, Chrysaphij præsertim, multorumque Episcoporum nova præ antiquis amplextantium. Delendo igitur tam pernicioso errori Synodus Chalcedonenfis indicta, ubi omnium votis hæresis Eutychniana conclamata est. In hac Synodo, quod maximè ad rem nostram facit, duo Episcopi Theodoretus Cypri, & Ibas Edesiæ Episcopi Nestorianæ hæresis suspecti à Patribus absoluti sunt. De Theodoro jam dixi, de Iba hæc accipe; is cum alijs Syriæ Episcopis Joanni Antiocheno adhæserat, Cyrillo infensus, & Nestorio amicus, pro cuius erroribus ad Maryn Persam epistolam scripsit, in qua & Theodorum laudibus effert, Cyrillum verò perstringit, tanquam is odio in Theodorum anathematismos scripsisset; & hæresi Apollinaris infectus esset: cùm enim Cyrillus unam Christi Personam assereret, Ibas unam naturam intelligebat, videturque totum hoc certamen cum Cyrillo inde provenisse, quòd Ibas socijque Personam & naturam confunderent, & cùm à Cyrillo unam Personam audirent, ipsi unam naturam intelligerent; & idèò, (ut in eadem Ibæ epistola legitur) nec Joannes Antiochenus prius Cyrillo reconciliari voluit, quàm istas propositiones damnaret, videlicet: *Divinitas passa est*; & *Una est natura Divinitatis & Humanitatis*. Cùm ergò, ut dixi, Joannes Antiochenus, & Cyrillus Alexandrinus dextras junxissent, unaque Nestorium damnassent; Ibas, qui erranti Patriarchæ comes fuerat, pœnitentem quòque secutus est, pacatusque Cyrillo vires & calamum in Nestorium vertit, & idèò ad calcem epistolæ, quam ad Maryn dedit, gratulatur reductam pacem, extincta odia, sedatam Ecclesiæ tempestatem, duosque Patriarchas belli quondam ductores, nunc mutuâ charitate, eadèmq; fide compositos. Quibus verbis se quòque Ibas significabat cum Cyrillo communicare, eadèmq; fidem complecti, nec aliud in Cyrillo aliquando damnasse, quàm quòd videretur unicam in Christo naturam

C

ram

ram profiteri; nota enim epistolam (a) Ibæ hæc capita complecti, 1. Criminatur Cyrillum, quod diceret, *Unam esse naturam Divinitatis & Humanitatis, nec esse differentiam inter Templum & inhabitantem in eo*, quodque odio, malisque artibus effecerit, ut Nestorius deponeretur. 2. Multis laudibus Theodorum Mopsuestenum effert, ejusque Zelum in profligandis hæreticis commemorat, vocatque beatum, & veritatis Prædicatorem. 3. Denique Pacem inter Joannem Antiochenum & Cyrillum commemorat, sibi que redditâ Ecclesijs pacem, sublatisque dissidijs gratulatur, innuitque eandem sibi & Cyrillo, ac Joanni Antiocheno fidem esse, sicque Catholicum se ostendit, & Nestorio adversum, quod etiam illis verbis apertissimè declarat: *Ecclesia, inquit, sic dicit, sicut tua Religio scias novit, & à principio est edocta, atque firmata ex liberis Beatissimorum Patrum, dua natura, una virtus, una Persona, quod est unus Filius Dominus noster, &c.* Græcè: (b) *Διὸ φλοσθε, μία ὕψαισι, & ἁπόσωτον.* Quæ doctrina, ut palàm est, Nestorianæ omninò est opposita, & hæc causa fuit, ut Ibas bis hæresis Nestorianæ postularus, bis in solemnibus Episcoporum Conventibus culpæ expers, innocensque declaratus sit, Beryti videlicet & Tyri: (c) nec Mireris Theodori libros ab Iba laudari; eo enim tempore necdum satis de Theodori scriptis constabat, alijs eos execrantibus, alijs verò laudantibus, & blasphemias, quæ in ijs legabantur, non Theodoro adscribentibus, sed alijs, qui ejus scripta corruerunt: eadem ferè ratione, quâ olim multi Patrum Origenem defenderunt, & nostrâ quoque ætate multi Jansenium. Quæ causa fuit, ut non à solo Iba, sed etiam ab alijs laudatus sit Theodorus, ejusque scripta, tanquam veritati ac fidei Catholicæ consentanea, videlicet à Joanne Patriarcha Antiocheno (d) postquam in sinum Ecclesiæ redierat; & Theodereto in Dialogis adversus Eutychem. Mirum ergo non est, Ibam Tyri & Beryti omnium Episcoporum judicio Nestorianismi, cujus postulabatur, absolutum esse, quod anno Christi 448. contigit: cumque in iisdem Tyrio & Berytensi Conventibus maximè epistolam Ibæ ad Marim urgent adversarij, tantum abest eum hæresis convictum esse, ut potius

Patres

(a) Epistola Ibæ habetur in actis Conc. Chalced. act. 10. (b) V. Baron. & Spondan. ad Annum 458. (c) Joann. Antioch. epist. ad Theodos. & ad Cyrill. & ad Procl. Constantinopolit. Theodoret. in dialog. Eranistæ; & epist. 16. ad Iren.

Patres ejusdem epistolæ argumento Ibam Orthodoxum & innocentem pronuntiârunt; ut habetur in Actis & subscriptionibus Concilij Chalcedonenfis *actione decimâ*: imò quod majus, idem Concilium Chalcedonenfe lectâ, auditâque Ibæ epistolâ ad Marim pronuntiavit, apparere ex eadem epistola, Ibam Orthodoxum esse, verba Patrum & sententiæ hæc sunt: *Paschasius & Lucentius tenentes locum Sedis Apostolica dixerunt: Relectis chartis agnovimus ex sententia Reverendissimorum Episcoporum* (qui videlicet Tyri & Berithi convenerunt) *Ibam Reverendissimum innocentem approbati; relectâ enim ejus epistolâ agnovimus eum esse Orthodoxum: & ob hoc decernimus, & honorem Episcopatus, & Ecclesiam ei esse restituendam.* Hæc Patrum Chalcedonenfium sententia fuit de Ibæ epistola; ubi tamen observa, non dicere Patres, epistolam Ibæ orthodoxam esse (nam ob immodicas Theodori laudes, damnatumque hæresis Cyrillum in suspicionem vocari poterat) sed ex illa Ibam orthodoxum probari; cum enim ad calcem epistolæ Cyrilli fidem comprobaret, gauderetque Joannem Antiochenum cum illo communicasse, pacemque inijsse, sibi que propterea ac toti Ecclesiæ gratularetur; aperte ostendebat, se quoque cum Cyrillo consentire, sicque Orthodoxum esse, & Nestorio adversum; sicut enim cum Ariana hæresis Ecclesiam in duas partes scinderet, sequæ occultissimis artificijs abderet, nec satis hæretici à Catholicis distingui possent, quippe larvatâ fætâque facie; certissimum veritatis indicium erat, cum Athanasio communicare; ita peste Nestorianâ grassante, nullum certius argumentum sanæ intactæque Religionis, quam Cyrillo adhærere, quod, cum in sua epistola Ibas profiteretur, mirum non est, à Concilio Chalcedonenfi pro Catholico receptum esse. Hanc rationem Eunomius Episcopus Nicomediæ attigit, quandò *actione 10.* Concilij Chalcedonenfis Ibam absolvit: *Fam, iniquiens, ex ijs, quæ relecta sunt, innoxius approbatus est Ibas Reverendissimus, in quibus enim dicendo male culpæ visus est Beatissimum Cyrillum, in postremis rectè confessus, illa, in quibus culpavit, resutavit.* Manifestum ergo est, quamvis epistola Ibæ hæresin redoleret, quia tamen circa finem epistolæ cum Cyrillo communicare se profitebatur, & Nestorium damnabat, ideò à Patribus Concilij Chalcedonenfis pronuntiatum est: *Ibam ex epistola ad Marim data Orthodoxum apparere.* Et sic quidem habuit causa Ibæ Episcopi Edesseni in Concilio Chalcedonenfi

agitata; non omittam tamen, etiam illud dicere, sanctos Gregorium M. (a) & Epiphanium conari, ut ostendant, eam epistolam Ibæ non fuisse; sed obstant aëta Tyrij, Berithensis, & Chalcedonensis Conciliorum, ex quibus liquidò patet, Ibam eam epistolam pro sua agnovisse. In eadem quoque Chalcedonensi Synodo Theodoretus Episcopus Cyri *actione 8.* absolutus est, ac sedi suæ, cum Nestorium detestatus esset, restitutus. Hic monasticam vitam amplexus Cyri Episcopus renunciatus est, immensòsque labores pro fide Catholica, contra Gentiles, & hæreticos suscepit; sed postea Theodori Mopsuesteni & Nestorij amicitia (quorum immensis laudibus omnes libros implebat) adeò fœdatus est, ut eodem morbo infectus videretur, præsertim ubi contra Cyrillum, quem Catholici omnes ut arcem veræ Religionis venerabantur, calumny strinxit; eadem quippe fidei & Cyrilli causa videbatur, ut qui hunc impeteret, illam quoque aggressus putaretur: sed tandem detectâ veritate, observatisque Nestorij & Theodori erroribus, præsertim cum obstinatos eos vidit, pedem à præcipitio, cui impendebat, retraxit, subscripsitque Leonis epistolæ, quæ protestera colebatur sacra militiæ; & ab eo vicissim in communionem & amicitiam receptus est; nam tanti Doctoris accessu partes Catholicorum augeri lætabatur, & ob has quoque causas Concilio Chalcedonensi Theodoretus pro Catholico habitus est. Audi aëta Chalcedonensis, *actione 8. Residentibus omnibus ante cancellos sanctissimi altaris, Reverendissimi Episcopi dixerunt: Theodoretus modo anathematizet Nestorium. Theodoretus dixit: Ego per DEI gratiam ab Orthodoxis sum nutritus, & Orthodoxè sum edoctus, & Orthodoxè predicavi, & non solum Nestorium & Eutychem, sed omnem hominem, qui rectè non sapit, averfor, & alienum existimo: & dum diceret hæc, Reverendissimi Episcopi clamaverunt: clarè dic anathema Nestorio & dogmatibus ejus: anathema Nestorio & amantibus eum. Theodoretus dixit: verè non dico, nisi quomodo novi DEO placere; neque de Civitate cogito, neque honore opus habeo, neque ob hoc adveni. Nestorium & Eutychem, & omnem hominem dicentem vel opinantem duos filios, anathematizo; & cum diceret, Reverendissimi Episcopi clamaverunt: dic apertè anathema Nestorio, & qui ea, quæ ejus sunt, sapiunt. Theodoretus dixit: Anathema Nestorio, & ei, qui non dicit DEI genitricem Virginem Mariam, & qui in duos filios partitur unum filium DEI unigenitum. Omnes Episcopi clama-*

(a) S. Gregor. l. 7. epist. 53. & Epiphani. Act. 6. Concil. Nic. II.

damaverunt: Theodoretus dignus est sede: Ecclesia Orthodoxum, Ecclesia Pastorem recipiat. Paschasius & Lucentius habentes locum Apostolicæ Sedis dixerunt: Sanctissimum & venerabilem Episcopum Theodoretum Sanctissimum & Beatissimum Universe Ecclesie Episcopum Urbis Romæ Leo dudum in communionem suscepit. Quoniam igitur Nestorium & Eutychem anathematizavit, Sanctissima & Venerabilissima Synodus, insuper verò & nostra humilitas reddi ei Ecclesiam propriam defurvit. Vides ergo in hoc Concilio Oecumenico Theodoretum & pro Orthodoxo acclamatum esse, & pro digno, cui sedes redderetur. Hæc sunt ergo tria Concilij Chalcedonenſis decantata Capitula, & ex quibus invidia Eutyrianorum Concilio Chalcedonenſi adverſantium tot postea discordiæ & malorum series deducta sunt. Absolutio videlicet Ibæ, Theodreti & Theodori Mopſwæſteni, quamvis enim de hoc ultimo nihil Concilium deciderit; hoc ipsum tamen silentium, & quòd Ibam ac Theodoretum perpetuos ac indefessos Theodori laudatores Concilium recepisset, vitio vertebatur, quasi Nestorio faveret, quamvis ut vidimus, & Nestorium Patres execrarentur, ejusque causam redderent debiliorem, præcipuis ejusdem defensoribus in vera Religionis castra translatis: nec enim favere hosti dicendus est, qui eum ducibus ac militibus privat, suisque eos partibus clementiâ & præmijs adstrinxit: id fecit Concilium.

VI. Anno DXXXVIII. Hoc est octoginta septem annis post Concilium Chalcedonenſe de tribus capitulismota contentio, prius ne cogitatum quidem, ut aliquid turbaretur. Res ita evenit. Missus fuerat in Orientem ab Agapito Pontifice Pelagius, ut Romanæ sedis legatione fungeretur; is è Palæstina reversus (ubi Episcopum Alexandrinum patratae cædis reum gradu dejecerat.) Monachorum agmen secum duxerat Origeni infensum: ingentem texuerant errorum catalogum, quibus suos libros insperferat, urgebantque istos simul cum Auctore damnari: *Quandiu enim Origenis nomen in Ecclesia vigeret, istius errores deleri ex animis non posse Auctoris reverentiâ; nec persuaderi hominibus, ut cum coli arborem, amarique videant, fructus tamen averſentur; istos verò spontè collapsuros arbore truncatâ.* Hæc Monachi nec sine assensu in aula repetebant, Pelagij præsertim, & Justiniani Imperatoris; Pelagij quidem, quòd liti tanto tempore, tantoque animorum æstu inter Catholicos agitatae finem

imponere cuperet. Imperatoris verò, quòd innato quodam fatali-
que imperu rebus sacris se implicaret, amarètque inter Infulas spe-
ctari: ergò unius ardor, & alterius ostentatio bellum in Originem
accendit. Indictum Constantinopoli Concilium, in eòque dam-
natus cum erroribus Origenes: & quamvis Paschasius & Mennas
Episcopus Constantinopolitanus iudices sedissent, diploma ta-
men, quòd sententiam & errores complectebatur, Imperatoris no-
mine expeditum, sive id genio Imperatoris datum, sive ut adver-
sarios p̄cellerent, sceptrum magis quàm pedū vereri solitos. Agebat
in aula Theodorus Cæsareæ Archiepiscopus, florebatque Principis
gratiâ; sed Origeni & Eutylianis planè addictus, occulto tamen
celatòque veneno, & in occasiones prompto. Is damnatum Ori-
genem acerbè indoluit, credebátque à Pelagio non tam cineribus
Origenis, quàm sibi illudum, hinc ardor vindicandi; utque securior
esset certiorque vindicta, pressus intra animum dolor, nec vultu
proditus. Ubi opportunitas fuit, Principi ostendit, perire Eccle-
siam Eutychianorum & Acephalorum discordijs: & tamen finiri
contentiones posse facili obvioque remedio: si Concilium Chal-
cedonense omnes recipiant, nihil amplius dissidij fore: ut verò
recipiant, illud unum obstare, quòd Theodorum Mopswestenum,
& Theodoretum, præcipuè verò Ibæ epistolam Patres comprobá-
fent: istos verò Nestorio apertè favere, sicque Nestorium quoque
ejusque sententias visas à Concilio comprobari, cum illos admi-
sissent: hoc Catholicos Nestorio ut par erat adversos offendi, hoc
unum morari, ne Concilium pacemque admittant: si ergò tria
illa Capitula damnentur, & Concilium admissum, & pacem reddi-
tum iri, nullo impendio: litandum esse omnium paci bonoque,
paucis mortuorum cineribus, idque ipsum Ibam, sociòsque si vive-
rent optaturos, gloriam verò redditæ pacis penes Imperatorem
fore. Hæc Theodorus obtentu Religionis: sed vindicta quære-
batur: prævidebat enim Pelagium sociòsque, ut termini mone-
rentur à Concilio & Patribus fixi, nunquam assensuros; hinc illis
cum Principe bellum, & ex bello offensam: aut si assentirent, se-
mel Concilij Chalcedonensis eversâ deletâque aliquâ parte, facile
totum impugnari, aut in dubium vocari posse, id verò Eutychia-
nis saluti fore. Hæc Theodori sententia, sed Principi abstrusa. Is
oratione

oratione perimorus, & Theodoræ Conjugis, quàm deperibat, blanditijs edictum proponit, quo tria Capitula damnabantur. Ingens inter Catholicos accensum certamen, quòd negarent convelli posse à Concilio statuta; eadèmq; Vigilij Romani Pontificis sententia erat: cùmque adverteret Imperator, in hujus exemplum omnium oculos defigi, & eò inclinaturam victoriam, ubi Vigilus esset, Constantinopolim eum accersit, excipitque obviam progressus. Omni ergò arte laboratum, ut hanc arcem everterent: præmia minis conjuncta: spes metusque temperati: & quod omnia vincebat, Imperatricis preces lachrymæque ac promissorum exactio: promiserat enim Vigilus, si Pontificatum ab Imperatrice obtineret, se tribus Capitulis abnuntiaturum; quid ergò negaret & femina, & Augustæ, & Benefactrici? maximè cùm preces, ut dixi, lacrymis, minisque armarentur. Nec minùs se Vigilus in omnem partem vertebat suspensus pendensque animi, cui inter tot contrarios ventos vela laxaret; quippe damnatis tribus Capitulis Concilium quoque Chalcedonense damnari videbatur, immensâ eorum indignatione, præsertim Occidentalium, qui nihil demum Concilio permittebant. Obstitere verò Imperatoribus? plenum hoc discriminis, damni que: decrevit ergò mediâ incedere, quod plerumque in ambiguis solet. Primò liberum cuique edixit, ut in hac re pro arbitrio sentirent, scriberentque, donec Concilium definiret; nec enim de rebus fidei quæstionem: nec Ibas Catholicus aut hæreticus sit, ad fidei articulos pertinere, libertatem ergò opinandi esse. Deinde in gratiam Imperatoris, à quo continuò pulsabatur, libellum concipit, quem tamen occultum voluit, secretumque, quo tria Capitula arguebat. Sed Libello vulgato, offensusque Occidentalibus apertè se Orientalium sententijs adjungit, ut istos saltem lucraretur, quippe numero & potentiâ majores. Adversati indignatique Occidentales, quòd crederent unam eandemque esse Capitulorum & Concilij causam; & Vigilus Schisma veritus, indicto Episcoporum, qui aderant, Concilio silentium partibus indicit, exoratque Imperatorem, ut in proximum ac universale Concilium suspendi edictum velit: annuitque Augustus. Interim Vigilus Theodorum hæresis compertum, & Episcopum Cæsareæ Augusto prædilectum, sed Schismatis auctorem Ecclesiâ sacrifq; interdicit;

cit; quo uno ostendit in negotio trium Capitulorum non animum sibi, nec constantiam, sed causam defuisse: quodq; jam in hanc jam in aliam partem flecteret, non timori aut gratiæ, sed concordiæ datum, nec parcum se ferri, cum morbus & necessitas poscerent. Augustus interim moræ impatiens, & præsertim agitante Theodorâ, contra quàm pactus esset, & frustra oblucente Vigilio, Edictum palam proponit, jubetque Episcopos, qui subscribere morarentur, in carceres & exiliari: ipse Vigilius, cum micantes jam gladios & catenas videret, Thessalonicam & ad aras confugit, vulneribus in faciem acceptis. Sed cum terræ motibus, hiatibus, marisque inundatione ac incurfibus Barbarorum Imperium concideret, Imperator & Menna Patriarcha malis fessi, devictique, veniam sacrilegij petere, & Edicta assufferi iussa. Hæc ab anno 547. usque in annum 552. peracta.

VII. Tandem Anno DLIII. Concilium Oecumenicum Constantinopoli habitum, in quo de Origenis, Nestorij, & Eutycheris erroribus actum, quos variè obtegebant, præsertim verò de tribus Capitulis: causabatur enim Eutychiani, se propter tria Capitula Synodum Chalcedonensem amplecti non posse, quod Nestorio faverent, & isti *Hesitantij* appellabantur, aut etiam Acephali. Missa ad Vigilium ornatissima Legatio 20. videlicet Metropolitanorum Antistitum, inter quos tres Patriarchæ: ubi vides, quantietiam ab hostibus Romanum fastigium æstimaretur, nam cum Patriarcha aliquis evocandus, tres solum mittebantur. Repetita dein Legatio additisque præcipui Magistratus, & ipse Bellisarius armorum Dux, rogabantque Vigilium, ut Synodo adesse vellet. Ille primùm inducias petere, tum morbum causari, & absentiam Occidentalium Episcoporum, qui præcipuè edicto Imperatoris turbabantur: ac tandem, quid de tribus Capitulis sentiret, scripta editurum. Et planè volebat Vigilius Synodum in Græcia, sed in Sicilia convenire, ut videlicet Occidentales Episcopi adesse possent, & vota liberè conferri; sed id ipsum Augustus verebatur, prævidebátque se numero victum iri, si Occidens conflueret: ergò nec alijs, nec Pontifice expectatis initium Synodo fieri voluit. Illyrici Antistites adesse recusarunt: Primasius Adrumetini in Africa Metropolitanus, cum ad Synodum vocaretur, intre-

intrepidè respondit: *Papà non prasente non venio.* Alij qui ex Africa & Italia aderant, paucique Orientis Episcopi Vigilio adhæsere, ut ex eorum subscriptionibus patet. Tres primæ collationes mittendis Legationibus, legendæque fidei professioni insumptæ. In quarta recitatae sunt Theodori Mopswesteni blasphemiae, & in illas à Patribus conclamatum. In quinta, quæ Patres adversus Theodorum scripserant, quæque Theodoretus in Cyrillum, producta: addita Patrum exempla & sententiæ, quibus etiam defunctos damnari posse probatum est. Acceptum etiam auditumque Vigilij Constitutum, quo fortiter prolixèque pro tribus Capitulis defendebat. Rationes Vigilij ad hæc capita reducebantur: *Que Concilium Chalcedonense statuisset, nullà ratione, nullòque obtentu subverti debere; alioquin unà Concilij parte oppugnata, totum infringi, ac dubium reddi; nec enim ostendi posse, cur in uno potius, quàm in alio errare potuerint Patres: Triumphaturum Eutychem, sociòsque, Concilio semel impulso eversoque, nec majorem illis evenire posse victoriam, quàm ut suspectum videant damnatumque tribunal, in quo ipsi causà ceciderint. Jam serè sæculum fluxisse, quo tribus Capitulis nemo litem intenderit, quid ergo causa esse, ut novo nec necessario bello Ecclesia collidatur? cur modo improbentur tot jam annis probata? Nestorianam hæresin tam clarè enixèque in Concilio Chalcedonensi damnatam esse, tamque repetitis vicibus, ut venire in mentem nemini possit, eam tribus illis Capitulis aut assertam, aut admissam esse, nec Chalcedonensibus Patribus tam parùm lucis adfuisse, nec Ecclesiam tam recordem, inertemque, ut tot annorum cursu aut statueret, aut permitteret, quæ Religionem fidemque minuerent. Ut Theodoretus & Ibas damnentur, nihil ad fidem pertinere; hanc enim de rebus, non Personis esse; quid ergò interfuit Theodoro Ibeq; parci, si modò quæ illi docuerunt, constet & ab illis revocata, & ab Ecclesia Concilioque proscripita? id semper in Ecclesia receptum esse, ut penitentes in sinum reciperet, apertisque amoris & Clementiæ ostijs aditum ostenderet reverti volentibus; alioquin nullum errori remedium & finem fore, si crederetur, ignosci non posse. Ignovisse Ecclesiam vivis, nec culpa securis; cur in mortuos faviretur, nec amplius offensuros? Quod si leges Canonèsque prohibeant, absentem aliquem indefensumque damnari; quanto magis emortuum, & in publica Synodo absolutum? falli Patres si crederent, hæc in mortuos sententiã pacem redituram; imò novum bellum incendi, novumque hæresi triumphum parari; Occidentis Antistites nunquam Chalcedonensibus illud passuros; istos ergò perniciosos Schismate involvi, reddidit Patribus, qui Constantinopolim pervenerint, in senso,*

D adver

aversosque, & quam isti sententiam in tria Capitula protulerim, illos planè reje-
ros; quanto hoc Synodi dedecore, quantoque damno? Hæreticis id lucrì accedere,
ut cum duas Synodos adversis Decretis pugnantes videant, utramque pari ludibrio
habeant; hunc ergò fructum Concilio fore, ut nulla Concilij reverentia, fidèsq;
habeatur. Hoc Hæreticos cupere. Hæc Vigilij sententia & rationes erant
in Constituto expressa; sed cohiberi torrens non potuit, quin Ibas
ejusque epistola ad Marin damnaretur, quod factum Actione sextâ,
repetito in Nestorium & Mopsuestenum anathemate. Septimâ
collatione plures Vigilij litteræ in Synodo lectæ, quibus tria Capi-
tula damnâsse videbatur. Octavâ tandem in tria Capitula pro-
nuntiatum: sic habuit Synodus Constantinopolitana; secutæ per-
secutiones, proscriptiones, exilia Episcoporum, qui nolent tria
Capitula damnare: nec Vigilio pepercere, ad carceres & exilium
rpto cum Clericorum manu, qui ei adhærebant. Inter ipsos Catho-
licos ingens discordia, quàm plurimis tria Capitula damnare
recusantibus, quod postea dicemus. Redijt tandem ab Exilio Vi-
gilius, ac in Sicilia morbis, ærumnisque consumptus vitam finivit.
Testantur quàm plurimi, Vigilium (a) tandem Concilio subscri-
psisse, idque ne videretur Nestorio & præsertim Origeni favere,
cujus errores paulatim Orientem occupabant; maluit ergò majori
morbo occurrere, & impendens naufragium breui, vilique jacturâ
redimere: quæ causa fuit Pelagio & Gregorio Magno Pontificibus,
ut hoc quoque Concilium curarent recipi, quod tandem magnis
laboribus effecere, cum palam ostendissent, in rebus ad fidem spe-
ctantibus nihil à quinta Synodo definitum, quod Decretis Chalce-
donensibus adversaretur, id enim præcipuè omnium ferè animis
infederat, quod ubi dedocti sunt, manus tandem communi paci
dedere; hoc enim sancti illi Pontifices observârunt, ut cum certa-
men de fide non esset, aliquid darent optatæ Concordiæ, cederent-
que Græcis genti superbæ, ac vinci dedignantibus, & flecti nescijs.

VIII. Ex hac historica narratione multa deducere licet me-
moratu digna, & quæ facillè nubes discutiant ex narratione Maim-
burgi offusas. *Primo* certum est causam trium Capitulorum nihil ad
fidem spectâsse: errores enim Theodori, Theodoretì Ibæque omnes
Catho-

(a) Vigilium quintæ Synodo subscripsisse testes sunt Evagr. lib. 4. c. 37.
Niceph. lib. 17. c. 27. & 28. alijque. V. Reg. Sacerd. fol. 320.

Catholici æquè detestabantur: his tantum de Personis erat: hæc quæstio facti erat; nec enim sequitur, ut qui hæresin docuit, continuo sit hæreticus, mens enim & pertinacia hæreticum, non calamus facit; & sæpè ignorantia delinquitur, præsertim cum illi errores abjurassent, & in Leonis sententiam ac scripta flexissent, idque S. Gregorius (a) multis locis testatur, salvâ videlicet fide de tribus Capitulis certatum esse: *De illa, inquit, Synodo, quæ Constantinopoli facta est, quæ à multis quinta vocatur, scire vos volo, quod in ea de Personis tantummodo, non autem de fide aliquid gestum est, & de Personis, de quibus in Chalcedonensi Concilio nihil continetur. Et l. 3. epist. 2. Postquam talis scissura pro nulla re facta est, justum fuit, ut Sedes Apostolica curam gerat. Et Pelagius II. epist. 2. ad Eliam, vocat quæstionem superfluum.* Docuitque idipsum experientia; quamvis enim absoluto Concilio ejusdem canones ab omnibus recepti sint, cum nihil aliud repeterent, quam Ephesini & Chalcedonensis Conciliorum Decreta; in ijs tamen, quæ ad tria Capitula spectant, totus ferè Occidens oblectatus est, collectisque Concilijs defensio trium Capitulorum suscepta, nec propterea quisquam hæresis accusatus est: quippe persuasum habebant, majorem esse Vigilij quam Concilij auctoritatem; quamvis enim Vigilius, cum adhuc animi penderet, in privatis quibusdam Epistolis adversus tria Capitula scripsisset, nunquam tamen rem definivit tulitque sententiam, nisi eo diplomate, quod Constitutum appellavit, Synodoque exhibuit, & hoc solo tanquam Pontificiâ auctoritate edito Occidentales contra Synodi Decreta nitebantur. Victor ergo & Facundus Hermianensis post Concilium Constantinopolitanum Africani Episcopi pro tribus Capitulis disertissimè scripserunt, & idè ad pœnas (b) quæsitæ. Africa, Illyrium, Hybernia, & totus ferè Occidens fatente etiam Maimburgo causam trium Capitulorum contra quintam Synodum amplexus, idè in Concilio Aquilejensi definitum: nec aliâ isti ratione ducebantur, quam quod crederent, doctrinam quintæ Synodi, quâ parte de tribus Capitulis agit, sententiæ Pontificis Romani adversari, sicque hujus potiùs auctoritati, quam Synodo deferendum esse; nec ullis artibus aut pœnis, nec millies objectâ Concilij auctoritate priùs moveri poterunt,

D 2

tuerunt,

(a) S. Gregorius lib. 3. epist. 37. (b) Maimb. Histor. du Pontif. de S. Greg. lib. 1. fol. 37. & fol. 34.

ruerunt, ut tria Capitula damnarent, quàm edocti à summis Pontificibus, hanc ipsam esse Romanæ Sedis sententiam temporari ac concordia cedentis, præfertim cum quæstio de fide non esset; palam ergo est, Omnes Episcopos Occidentis, ac etiam Gallicanam Ecclesiam ejus sententiæ tum temporis fuisse, ut crederent nullam esse Synodo auctoritatem à Romanis Pontificibus improbatæ, & istorum Decreta omni Synodo potiora esse: alioquin si id non crederent, cur Pontifici potius quàm Synodo adhærerent? cur improbarent, repellerentque Synodi Decreta, collectisque Episcoporum Concilijs, ac libris disertissimè scriptis ea impugnant, nec penis, nec exilijs, nec aliâ quâvis ratione ad ea recipienda moveri prius possent, nisi à Romanis Pontificibus jussi? jubet Synodus, non audiunt: jubet Pontifex, obtemperant; cujus ergo auctoritatem majoris ducunt? illius, quem respuunt, an cujus admittunt? sed ne quid ex nostro præter verum finxisse videamur, audiendus Gregorius in epistola, quam adhuc Diaconus nomine Pelagij Pontificis ad Universos Istriæ Episcopos scripsit, & habetur tomo 2. Conciliorum p. 2. inter fragmenta Concilij Constantinopolitani. *Rursum, inquit, per epistolam vestram dicitur à sede Apostolica vos doctos, atque à sermo sanctæ Ecclesiæ, cui DEO auctore præsumus, confirmatos, ne huic rei consentire debeatis. Atque hanc opiulationem excusationi vestra adjungitis, quod in causa principio & Sedes Apostolica per Vigiliam Papam, & omnes Latinarum Provinciarum Principes damnationi trium Capitulorum fortiter resistunt. Et Beda l. de 6. ætatib. Synodum Aquilejæ factam ob imperitiam fidei quintum Universale Concilium suscipere disfidit, donec salutaribus B. Papa Sergij monitis instructa & ipsa huic cum cæteris Ecclesijs annuere consentit. Et Platina in vita Sergij: Ecclesiam Aquilejensem quintam Synodum non omnino approbantem ad sanitatem doctrinæ & auctoritate suâ tandem perduxit. Plus ergo Patres & Ecclesia Aquilejensis Sergio Pontifici, quàm quintæ Synodo deferendum censuit. Quod si Pelagius, Gregorius, Sergius, alijque Pontifices perrexissent quintæ Synodo obniti, eamque improbassent, certissimum est, eam toto Occidente nunquam acceptam fore, cum vix tandem, & post longum certamen Pontificum auctoritate evictum sit, ut reciperetur: plus ergo istis reverentiæ & submissionis quàm Concilio datum; hoc enim quamvis centum septuaginta quinque Episcoporum votis, ac Principis Majestatem, ac præterea sævissimis legibus*

legibus, ac longâ persecutione armatum, nunquam tamen evicit, ut ei Occidentales subscriberent; soli ergo Vaticano gloria confecta pacis impetratique obsequij servabatur. Postquam verò reliquæ Ecclesiæ Occidentis causâ vitandi schismatis, exemploque Pontificum cesserant; meritò S. Gregorius & Pelagius querebantur paucas illas reliquias, in re, ut loquitur idem Gregorius, *nullius momenti, merèque superflua, nec fidei connexa*, opinionem suam paci & charitati præferre, & ab aliarum Ecclesiarum societate disjungi: quis enim Ibas & Theodoretus, ut istorum causâ perire Unitatem, pacemque vellent? præsertim cum ex sensu verbisque quintæ Synodi conditionata solùm esset eorum damnatio, *si videlicet erroribus immortui essent*; constabat verò immortuos non esse, imò errores execratos: quid ergo damni si Græcorum pertinaciæ communiq; concordia mortuos damnarent, innoxia sententiâ nec obfuturâ? tam magna victoria tam parvi stabat!

Dices ex illa ipsa alijsque Gregorij Epistolis apparet, creditum à plerisque fuisse, Pelagium & Gregorium aliòsque Romanos Pontifices contra Concilij Chalcedonensis decreta sentire, & idè tanto tempore morati sunt, obluatque, ut tria Capitula damnarent: credebant ergo Pontifices errare posse, sicut planè errasse Vigilium oportuit, qui non privatis tantùm Epistolis, sed solemnibus ac Pontificio diplomate, quod *Judicatum* vocabant, in tria Capitula pronuntiavit: postea alio, parique auctoritate, quod *Constitutum* dicebant, eadem Capitula prolixè sustinuit, vetuitque damnari. Ac tandem sexto, postquam exulavit, mense Pontificiâ Decretali tria iterùm Capitula oblitterata voluit, addiditque hæc verba: *Quæ verò aut à me, aut ab alijs ad defensionem prædictorum trium Capitulorum facta sunt, præsentis hujus scripti nostri definitione evacuamus*. Oportet ergo inter tot sibique adversas Vigilij sententias aliquam falso laborare; falli ergo Pontifices possunt.

Resp. Jam supra monui, quæstionem de tribus Capitulis citra fidem stetit, imò à S. Gregorio & Pelagio *nullius momenti & superflua* vocata esse; in hujusmodi autem falli Pontifices posse ultro fatemur: quamquam nec Vigilius, aut alij errabant, cum pro varijs temporum hominumque circumstantijs nunc damnari tria Capitula, nunc sustineri volebant. Cum timor erat, ne illis dam-

natis Capitulis damnari quóque Synodus Chalcedonensis videretur (id quod optabant Eurychiani) aut saltem in dubium vocari, frementibus Occidentis Episcopis, ac Schisma minantibus, nisi abstereretur; credidit Vigilus abstinendum novis esse, antiquisque vestigijs inhærendum, quod in suo Constituto prolixè demonstravit. Ubi verò ex adversò prævidit multò plus periculi ab Orientalibus, nisi Capitula damnarentur, instare; omnibus videlicet in eam sententiam ruentibus, ipsòque Imperatore tanto ardore agmen ducente; præsertim cum Nestoriani ea Capitula suis erroribus prætexerent, multisque Theodoretì & Iba auctoritate imponerent, viderentque sub istorum nominibus à Concilio admisis venena quóque animis illabi, majorque multò spes alluceret Occidentalium animos placandi, permovendique, quam Græcorum, qui innatam pertinaciam duplici auctoritate Principis videlicet Synodique obfirmabant. Ex his, inquam, aliisque rationibus, utque gliscenti Schismati, & ingens incendium promittenti fomenta subducerentur, permotus est Vigilus, aliisque post eum Pontifices, consilia sæpius, non finem mutare: neque hoc inconstantis, aut errantis fuit, quippe eadem semper navigatione, & eundem portum spectante, quamvis contrarijs ventis, & ex adversò flantibus; & Medici remedia vertunt mutantibus morbis; nec alternatio errori, sed arti adscribitur; imò is error esset, nolle consilia temporibus aptare, eodemque vestitu gaudij, luctusque diebus incedere. Prudentis ergò fuit consilij non obstinari, affigique, sed ut res ferret, in diversa transire, & locum necessitati dare: alioquin si error is fuisset, sequeretur etiam Concilia Oecumenica errori esse obnoxia; nam & Synodus Chalcedonensis sententiam pro tribus Capitulis tulit, quam postea Synodus Constantinopolitana mutatis causis correxit; sic B. Paulus, qui in circumcisionem tam acriter invehctus aliquandò fuit, eam postea Timotheo adhibuit, ne Judæos offenderet; quam cum videret Gentilibus fastidio & scandalo esse, obliterari iterum voluit, Petro vehementer objurgato: hoc ergò Vigilus fecit aliisque Pontifices; nam quòd timiditas Vigilio opponebatur perinde ac si in Augusti sententiam metu, non ratione flexisset, res ipsa Vigilium & eventus purgârunt; eodem enim tempore, quo inter Pa-

pam

pam & Augustum his ista fervebat, Theodorum Episcopum Cæsareæ, Mennamque Patriarcham Imperatori prædilectos, ipsamque Augustam hæresis compertam Vigilius Ecclesiâ sacrissimæ exclusit; non hæc timentis erant, sed intrepidi, invictique, & ipsum Imperatorem in charissimis Capitibus provocantis: quis ergo dubitet non eadem ausurum in causa Capitulorum, si eadem necessitas foret severitatem exerendi? sed aptior clementia videbatur, & hæc tandem finem certamini dedit. *Secundò* Illud quoque diligenter observandum, Concilium hoc quintum non potuisse prius pro Oecumenico haberi, quàm confirmatum à Vigilio, aut alijs Pontificibus fuerit: & ideo cùm Vigilius, quod tria Capitula spectat, confirmare illud renuerit; sequitur nihil momenti aut virium fuisse: hinc Patres tanto conatu egerunt, ut ei Vigilius interesset; audi istius epistolam ad Synodum: (a) *Poposcit Vestra Fraternitas, ut nobis presidentibus de tribus Capitulis, ex quibus questio nata est, conferatur, & finis questioni ipsi DEO placitus, & convenienter ipsi, quæ à quatuor sanctis Concilijs definita sunt, imponatur: quibus ita dictis postulationibus annuimus, ut de tribus Capitulis factò Regulari Conventu, servatâ aequitate, & medijs SS. Evangelijs Collationem cum unius fratribus habeamus, & finis detur placitus DEO. Collatione quoque VII. ejusdem quintæ Synodi multæ Vigiliij epistolæ recitatæ sunt, quibus ostendere conabantur, Vigilium tribus Capitulis adversatum esse, nec aliud eâ sessione actum, & tandem collatione 8. ante sententiam definitivam præfati hæc sunt: Quia contigit Vigilium Religiosissimum omnibus interesse, quæ in tribus Capitulis annotata sunt, & tam in scriptis, quàm sine scriptis in Concilio convenire &c. Imò ipse Mennas Patriarcha Constantinopolitanus, teste Facundo (b) Africæ Episcopo, nunquàm Justiniani edicto contra tria Capitula assentiri voluit, nisi juramento accepto, nullam fore subscriptionem, si Pontifex reclamasset: agnoscebant ergo Patres Concilij necessariam esse Pontificis confirmationem & assensum, pro quo ostentando tam enixè laborabant; quæ Confirmatio, dum abfuit, persuaderi Occidentalibus non potuit, ut Concilium recipere; sed nemo luculentius hujus necessitatem, ut B. Gregorius Magnus in suis epistolis ad Episcopos Istriae Illyriciq; in causa Capitulorum scriptis ostendit; citat enim laudatque multa Leonis Magni testimonia,*

(a) Epistola Vigiliij 8. inter epist. PP. (b) Facund. pro Defens. c. 2. & 4.

monia, qui canonem 28. Concilij Chalcedonenſis Patriarchæ Constantinopolitano ſecundas deferentis aboleri voluit, nulliusque momenti eſſe, quippe invitâ Romanâ ſede conceptum, editumque; Romanam enim ſedem tantum ea confirmâſſe, quæ ſunt fidei, non verò, quæ pertinent ad Perſonas, & idèd quæ à Romana ſede confirmata non fuerant, nullius quòque ponderis fuiſſe. Audi Leonem epistolâ ad Pulcheriam Auguſtam: *Confenſiones verò Episcoporum, ſanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes unitâ nobiſcum veſtra fidei pietate in irritum mitimus, & per auctoritatem Beati Petri Apoſtoli generali prorsus definitione caſſamus.* Oportet ergò magnam eſſe Confirmationis Pontificiæ auctoritatem & neceſſitatem, quando ejus defectu aut diſſenſu decreta Synodi Oecumenicæ irritantur & caſſantur. Et in Epistola ad Martianum Auguſtum. *Nam & veſtra pietatis apices, & ipſius Anatolij ſcripta declamant, Legatos Sedis Apoſtolice ſicut oportuit contradictione juſtiſſimâ eireſtiſſe, ut inexcusabilis eſſet præſumptio, quo ſe nec increpata cohiberet. Si inexcusabilis eſt, & præſumptione laborat, qui licet auctoritate Concilij muniatur, contradicentem tamen habet Pontificem, ſequitur nullam eſſe Concilij auctoritatem, cum Pontificem adverſantem habet: & tamen nota, quòd ſedis prærogativa, quam Patriarcha Constantinopolitanus expeſtebat, quamvis Nicænæ Synodo adverſaretur, eamque Pontifices Romani tanto ardore impugnâſſent; nihilominus tamen mutatâ rerum temporumque conditione ab iſdem Pontificibus Romanis communis concordiaè cauſâ Patriarchis Bizantinis in Concilio Lateranenſi quarto permiſſa eſt. Unde argumentari ſic licet: ſi à Concilio Chalcedonenſi ſtatuta, Léo, Simplicius, Gelafius, (a) Gregorius, Nicolaus alijsque Pontifices evertunt, idque jure merito factum eſſe Martianus Imperator & Anatolius Patriarcha conſentunt; rurſum mutatâ temporum conditione, paciſque cauſâ eundem illum Chalcedonenſem Canonem toties damnatum, Pontifices ratum volunt, nec errorem hunc eſſe, ſed prudentiam omnes dicunt, temporis aptantem; quid mirum aut novum eſſe poteſt in cauſa trium Capitulorum, variatis rebus variatum toties à Concilijs & Vigilio, alijsque Pontificibus eſſe? aut cur porius in hoc Pontifices, quàm in illo erroris arguas? Quamvis ſi erroris fuit,*

prius

(a) Vide Gelafium I. epiſt. 13. ad Episcop. Dard.

prius Concilium Chalcedonense, quàm Vigilus erravit, & idèd aut utrumque, aut neutrum damnas, paris videlicet utriusque aut culpâ, aut innocentia. Elucet etiam, quanti sit Pontificis Romani confirmatio; hoc enim abnuente, quod duo Concilia Oecumenica statuerunt, pro sede videlicet Constantinopolitana, proque causa trium Capitulorum, acceptum non est, sed à quàm plurimis impugnatum: ubi verò Romanus Pontifex annuit, sublatae lites & contentiones, & omnium votis conspiratum, adèd ut ab hujus auctoritate præcipuè penderet, recipi Concilia, an respui deberent; quod Patres septimi Concilij apertè professi sunt: sic enim loquuntur: (a) *Hoc autem subtilius, inquit, est considerandum in ipsa sacra & venerabili septima Synodo, in qua nullus eorum, qui in his partibus Episcopi erant, convenisse repertus est. Sed nullum ex hoc sanctæ adhaesit Synodo præjudicium, neque prohibitio vires habuit aliqua statuendi, & manifesta faciendi verba dogmata, præcipuè cum sanctissimus & Apostolicus Papa concordaverit, & in ea inventus sit per suos Apocrypharios. Tertio. Ex his omnibus, quæ in causa trium Capitulorum dicta sunt, facile colligis, quàm multa Maimburgus involvat regendæ veritati, quæ si apertè & sigillatim edidisset, se ipsam veritas proferebat, sed maluit obscura & insidijs apta. Dicit: Vigilum errasse cum sententiam tulit pro tribus Capitulis. At non erravit Vigilus, sed necessitati, & tempori cessit, mutavitque opportunè consilia, idque exemplo Pauli Apostoli, aliorumque Pontificum & Patrum, imò omnium ferè mortalium, consilia & media, non finem mutantium; aut si error is fuit, non ad fidem, sed personas spectabat: de quo nulla nobis nec quæstio, nec cura est. Dicit: Sententiam Vigilij à Concilio examinatam & abolitam esse, & ita palam omnino fieri, Ecclesie persuasum fuisse, Pontifices Concilio subiacere. Sed quàm hoc imperitè & extra lineam? nobis enim quæstio est de auctoritate Pontificum in causis fidei decidendis; at verò jam supra ostendimus, causam trium Capitulorum ad fidem non pertinuisse; quæ ergo consequentia est à rebus heterogeneis & disparatis? deinde si Vigilus erravit, sequitur etiam Conciliū Oecumenicum Chalcedonense æquè & prius errasse, quod eadem, quæ Vigilus de tribus Capitulis definivit; sequitur ergo, non Pontifices solum, sed etiam Concilia errori obnoxia esse, quod maximè refugit Maimburgus; denique*

E
si idèd

(a) Synod. 7. Act. 3. in epist. Episc. Orient.

si ideò Concilium supra Pontificem, quia hujus sententiam examini subjecit, correxitque: sequitur eadem ratione Pontificem esse supra Concilium: nam Concilij Chalcedonensis decretum de primatu Patriarchæ Constantinopolitani à Romanis Pontificibus discussum, rejectumque est, ut supra ostensum. Quòd si dicas illud ad fidem non spectasse, & ideò nihil in fidei rebus Concilij derogatum; idem ego de causa trium Capitulorum dicam, quæ cum fide connexa non est, nec quidquam Pontificum auctoritati detrahit, quæ pollent in rebus fidei decidendis. Vides quàm seipsum Maimburgus involvat, felicior semper inchoandis, quàm finiendis bellis.

IX. Objicitur 4. (a) Honorius I. in sexta Oecumenica Synodo hæresis Monothelitarum accusatus, damnatusque est: potest ergo Pontifex errare, judicarique à Concilio. Quòd si dicas corruptam esse à Græcis Synodum sextam, (b) & Honorium culpæ quidem expertem esse, malè verò à Patribus intellectum, explicatumque; quid rogo dices ad septimæ & octavæ Synodorum, ad Hadriani, Leonis, Agathonis, Nicephori, Tharasis, Theodori, Bedæ, & aliorum Patrum testimonia idipsum asserentium? *At malè Patres Honorium sunt interpretati.* Esto; saltem ergo crediderunt posse Pontifices errare; nisi enim id crederent, nunquam errasse eos dicerent; fuit ergo omnium eorum Patrum sententia, & Pontifices errori esse obnoxios, & Concilij judicio subjacere; & qui contrarium docent, sententiæ doctrinæque Conciliorum adversantur.

Resp. Utcùnque Honorij res se habeant; certum est, nihil causæ nostræ ejus exemplum aut errorem obstare, si quis fuit: quis enim nescit epistolas Honorij ad Pyrrhum & Sergium, & ob quas hæresis accusatus dicitur, privatas fuisse, non publicas, nec dogmaticas, & in quibus nihil Honorius definivit, sed mentem tantum suam, privatamque sententiam aperuit? in hujusmodi verò epistolis errare Pontifices posse, corrigique, non inficior, neque hoc in quæstionem venit; neque enim omnia, quæ agunt, aut dicunt Pontifices, continuò oracula sunt, & humanæ conditionis expertia, sed solum cum Pontifices agunt, vel ut scholæ loquuntur, cum *ex ca-*

(a) Maimb. Tract. histor. cap. 18. primæ Edit. fol. 155. & cap. 12. fol. 118.
(b) Synod. 6. Act. 4. & Act. 13. Synod. 8. Act. 7. Leo II. epist. 2. ad Episc. Hisp. & epist. 4. Nicephor. epist. 3. ad Leonem III. Tharaf. epist. ad summ. Sacerdot. Antioch. Synod. 7. Act. 3. Beda de nat. rer. c. 67. V. Regal. Sacerd. f. 546.

ibedra docent; quemadmodum non omnia, quæ Reges dicunt, scribuntque, continuo sunt edicta & sententiæ, nec vim edicti aut sententiæ habent. Errat ergo Maimburgus, & ne statum quidem quæstionis intelligit: jactique tela incerto scopo, ignotique, sed de hoc postea. Nunc verò hæresin Honorij, quod spectat, fateor in nulla re magis ambiguum me animi, incertumque fuisse; ex una enim parte tam multi sunt, gravesque in Honorium testes, ut vix audeam absolvere tot testibus impetitur: ex altera verò tam clarum est in ijs epistolis, quæ unice arguuntur, nullam hæresin esse, ut non ausim damnare delicti immunem: quid enim? si quis è regio diademate sublatum à me dicat consumptumque pretiosum adamantem, idque centum confirmet; & tamen nec vestigium furti in diademate ostendi, nec gemmarum defectus possit, integro videlicet numero, illibatoque, num furti damnari poterò plectique? num major vocibus fides, quam oculis dabitur? Eadem omnino Honorij causa: furti illum & gravissimi postulant, testes magni, multi que: dicunt unam è duabus in Christo voluntatibus eum subduxisse: si locum patrati furti interrogas, litteras ad Pirithum, Sergiumque ostentant. Si litteras inspicias, omnesque illarum sinus excutias, tantum abest unam voluntatem desiderari, ut potius utramque clarissimè Honorius asserat, utramque Lector inveniat. Innocens ergo Honorius, si veritatem spectes; Reus, si testes: veritas ergo testibus cedit, an testes veritati? & quæ accusatio tam valida, si non constat de corpore delicti? Imò si constet nullum esse delictum? & quæ tu ablata & absumpta dicas, ego ostendam eodem semper loco fuisse, & adhuc esse? Ergo persuasum omnino habeo, errorem aliquem Græcorum fraude in sextam Synodum irrepsisse, & ut fieri amat, in alios postea derivatum esse, qui auctoritate Concilij decepti fuerint, nullam indagandæ veritatis, aut curam aut studium; cum superfluum id crederent, sententia à Patribus dictam. Fateor arduum esse, originem, causamque erroris detegere, sed quam multa, quorum causam ignoramus? nemo dubitat Ægyptum Nilorigari, quamvis origine occultam. Certum igitur est primo Acta sextæ Synodi à Græcis corrupta esse, nec id novum apud Græcos, nam & Acta quintæ Synodi infecerant testibus Patribus *actio. 12. Et 14. sextæ Synodi; & Sessio 8.* gloriatur Macharius Archiepiscopus

Antiochenus Patrum scripta, ut suis opinionibus opportunum videbatur, aptata à se esse. Beatus etiam Gregorius. *lib. 5. epist. 15. ad Narsen*, Concilia Chalcedonense & Ephesinum fatetur eadem fraude fœdata, idemque B. Leo (a) & Anastasius testantur. Eadem Nicolai primi querela epistolâ ad Michaëlem Imperatorem. Quid ergo novum est, Græcos hâc arte non imbutos tantùm, sed etiam superbos, qui que tertiam, quartam, quintam & septimam Synodos aggressi fuerant, pari audaciâ in sextam grassatos esse, nullò pudore, imò etiam factu, quippe ingenio adscribebant. *Secundò* ipse Agatho Papa in epistola Synodali (quam Patres sextæ Synodi (b) summis laudibus extulerunt) cùm de hæresi Monothelitarum disputaret, negat, *Romanam Ecclesiam juxta Christi promissionem à vera fide unquam deslexisse, sed suos Prædecessores semper hæresibus restitisse, & fratres in fide confirmasse.* Qui rogo id Agatho & in confesso totius orbis ediceret, recenti adhuc Honorij exemplo, & Patribus tam noto? Quis non Salomonem rideret, si in publicis regni Comitijis pronuntiaret; nullum è sua Judæque familia homicidio & adulterio obstrictum fuisse, cùm vestigia fœdati Thalami, calentisque Uriæ sanguinis omnium oculos adhuc implerent? Mendax ergo Agatho impudensque, qui Patribus tam aperto mendacio illuderet; sed multò isti nocentiores, qui non ferrent tantum Agathonis mendacium, sed etiam applauderent, clamarentque: *Petrum in Agathone locutum esse: Hoc dicerent mentienti?* *Tertiò* si verum est, Honorium à Concilio Hæresis damnatum esse, pace dixerim tantorum Patrum, nec majus delictum imputari, nec iniquior sententia esse potuit. Honorius hæreticus, Honorio anathema: interim verò nulli tanti delicti testes, nulla judicia, nullum causæ examen, nullus, qui jam dudum defuncti innocentiam sustineret, sed uno eodemque temporis momento Honorius Pontifex Romanus, reus & victus, damnatusque; crederes de papavere in hortis demetendo, non de Pontifice Romano causam agitari: & quando vel vilissimum caput tantâ injuriâ, rerumque neglectu judicatum est? cùm Arius & Nestorius, cùm Theodorus & Mopswestenus, Theodoretus, alijque postulati sunt, quorum tamen hæreses notæ vulgatæque, & tot libris ac

(a) S. Leo epist. 81. ad Palestinos. Anastas. præfat. in 8. Synod. (b) Sextæ Synod. act. 12. & 14. V. act. 8. & 18.

ſpectatoribus ſparſæ; quantâ nihilominùs curâ ſtudioque, & probationum morâ ſententiæ dilatae ſunt, invitæ velut extortæ? aded ut cum in Neſtorium pronuntiarent, gemitus ſententiam ſequerentur: in ſolos Honorij & indefenſos cineres nullo examine, nulloque apparatu, vibrata curſim anathemata: quis hoc detanto Concilio? præſertim cum in promptu Honorij epistolæ eſſent, in quibus expreſſis diſſertisque verbis duas naturas, duasque operationes fatebatur, Monothelitarum hæreſi confixâ potiùs quàm probatâ. Si ergo verum eſſet, Honorium in hac Synodo hæreſis damnatum eſſe, oporteret Synodum in iudicio tanti momenti ſummæ iniquitatis & ſocordiae pulſari, imò ignorantiae: nemo enim, qui rem ipſam conſtitetur, ſi nomen reticere juſtas ob cauſas velit, ut Honorius reticere volebat, hæreticus appellari debet, præſertim re nondum definitâ; alioquin & Hieronymus hæreticus fuerit, (a) qui cenſuit non eſſe tres hypoſtaſes in DEO dicendas: & Auguſtinus, qui Paſcentio Ariano vocem homouſij omitti permittebat, modò fateatur filium ejuſdem cum Patre ſubſtantiae & naturæ. Hæreſis ergo non vocum, ſed rerum eſt: quæ ergò Patrum ignorantia, Honorium hæreſis damnare, qui hæreſin ipſe damnabat, & quibuſdam tantum vocibus abſtinendum ſcribebat concordiae cauſâ, quòdque vocibus duarum naturarum quàm plures abuterentur, quaſi in Chriſto duæ & contrariae fuiſſent, quaes videlicet in nobis ſunt, adverſæ ſibi, rebellésque? hæc tota Honorij culpa, ob quam an hæretici nomen & pœnas meruerit, clariùs eſt, quàm ut Synodus potuerit ignorare, & alibi (b) oſtenſum eſt.

Dices: Honorius cum Sergio communicabat, imò eidem ſcripſerat, ſe cum eo ſentire, ſibi que probari, quæ Sergius propoſuerat, ergo ex hoc capite meritò pro hæretico habitus eſt.

Reſp. Latebat adhuc hæreſis Sergij, aut quòd recens, aut quòd pietate fucata, & necdum perſtrinxerat Occidentem, quæ cauſa ut non Honorius ſolum, ſed alij quàm plures doctrinâ & virtute præſtantes cum Sergio communicarent, quippe necdum comperto: ſic Baſilius vir alioquin ſeverâ pietate cum Euthachio Episcopo Ariano communicare viſus, & tot calumnijs præſertim in Occidente petitus, ſic Chryſoſtomus cum Origeniſtis, Innocentius cum

E 3

Pela-

(a) Hieron. epiſt. ad Damaf. S. Auguſtin. epiſt. 174. (b) V. Regale Sacerdot. f. 546.

Pelagio, quòd videlicet pietate & religione, quas simulabant, capti, eorum societatem non respuerent, aut quòd ægros ignorarent, aut quòd desperarent curari posse: quando mederentur, si fugerent laborantes? non sequitur ergò Honorium quòque febribus æstuâsse, quia decumbentibus assedit.

At Honorius Sergio Monothelita hæretico assentiri se dicit, ergò & ipse Hæreticus Monothelita est.

Resp. Videndum priùs, qua in re Honorius Sergio assentitur: sicut enim non omnia, quæ hæreticus dicit, hæreses sunt, ita non omnis, qui hæretico aliqua in re assentitur, continuò hæreticus est. Concedit Lutherus tres esse Personas in una natura Divina: num ideo hæreticus & Lutheranus erit, qui hac in re sentire cum Luthero se dicat? Honorius ergò una in re cum Sergio hæretico sentit; abstinendum videlicet illis vocibus: *Duæ Voluntates in Christo, duæ operationes*; id enim novum esse, nec necessarium veritati, & potius ad Philosophorum & Grammaticorum scholas pertinere; imò abuti aliquos ijs vocibus; ut ostendant, populòque persuadeant, duas in Christo voluntates discordes fuisse: ergò voces quod attinet, premendas eas esse concordiaè causâ, & nec unam voluntatem, nec duas dicendas esse, sed potius duas naturas propria operantes in una Persona: in hoc ergò eadem Honorij opinio & Sergij fuit, neque id hæresis, sed prudens cautela, ne fomes daretur gliscienti discordiaè. Multa dissimulari possunt malo adhuc modico, & remedium patiente, quæ postea obfirmata ferri non debent. Rem verò ipsam quòd attinet, an videlicet duæ in Christo naturæ, duæque operationes essent, dissentit omninò à Sergio Honorius; Sergius enim omnèsque Monothelitaè negabant esse duas in Christo voluntates, duâsque operationes; sed unam tantum voluntatem, unamque operationem admitti volebant; at Honorius clarissimè dicit: *Non esse dicendum unam voluntatem unamque operationem, sed tamen unum Operatorem Christum propter unitatem suppositi*: monetque Sergium, ut deinceps omitat dicere, unam esse in Christo voluntatem: *Utrâsque, inquit, naturas in uno Christo cum alterius communionem operantes atque operatrices consisti debemus, & Divinam quidem, quæ DEI sunt, operantem, & humanam, quæ carnis sunt, exequentem.* En tibi duas naturas, duâsque operatrices Potentias, & duas quòque operationes

rationes, humanam videlicet & Divinam: quid poterat contra Monothelitas expressius dici? si enim, ut dicit Honorius, natura humana in Christo operatur, ergo operationem aliquam humanam habet (Divinam enim habere non potest.) ergo in Christo duae sunt operationes, humana & Divina. Rursus Monothelitae nullam propriam & humanam operationem in Christo admittebant, sed solam Divinam; humanam naturam patientem tantum & recipientem, eo ferè modo, quo tabula aut marmor recipit tantum, non format imagines, actio verò Pictoris, sculptorisque à solo Pictore aut sculptore est: id observat S. Thomas, (a) clarèque Sergius ad Honorium scribit: *Quemadmodum, inquit, corpus nostrum regitur & disponitur ab intellectu & rationali anima nostra; ita & in Domino natura tota humana, ejus conspersio ab ipsius Verbi Deitate semper in omnibus mota, ut sit carnis quidem passio, DEI autem operatio.* Idemque Pyrrhus fatetur in Dialogo, quem cum Maximo habuit. At Honorius: *Unum quidem Operatorem esse dicit, at duas operatrices naturas.* Ita ut Divina, quae DEI sunt, operetur, humana, quae hominis: sicque humanam naturam non patitur tantum, sed etiam operari. Qui ergo Monothelita Honorius, si Monothelitis è diametro adversatur, negatque quae illi asserunt, asserit, quae negant? At Monothelita Honorij societate, & communione gloriabantur. Sed nos quaerimus, qualis Honorius fuerit, non qualem finxerint Monothelitae; quis enim nescit hoc Haereticis semper solemne fuisse, ut Patrum auctoritatem suis erroribus praetererent? alioquin haereticus Basilius fuerit, haereticus Hieronymus, Chrysostramus, & praesertim Augustinus, quorum Societatem & olim & nunc quoque Haereticis passim vanèque ostentant. Palam est ergo, si epistolas Honorij examines, quarum causam haereticis postulatus est, innocentem illum esse, & culpae immunem, & ideo nec credi posse in Concilio damnatum, praesertim jam praedefunctum, & de quo dubitari merito debuit, essetne haereticus immortalis, si quam contraxisset. *Quarid* denique summi momenti est S. Maximi Monachi & Martyris testimonium, quo Honorium Papam omni culpa & haereticis suspitione absolvit. Is praecipua Sanctitate florebat, cui tandem Martyrij palmam adjunxit; Monothelitarum perpetuus malleus, eorumque errorum adeo gnarus, ut Pyrrhum Mo-

(a) S. Thomas 3. p. q. 18. a. 1. Sergius, epist. ad Honor. act. 12. sextae Synodi.

nothelitarum Principem & Constantinopolitanum Patriarcham publico congressu & disputatione vicerit, converteritque; non ergo aut adulationis, aut ignorantiae notari potest: & praesertim cum ejus disputatio publice audita, publice excepta fuerit, nec quidquam à Maximo narratum, non planè compertum, certumque veritatis. Cum ergo Pyrrhus Honorij auctoritatem Maximo in hæc verba obijceret: *Quid de Honorio ad respondendum habes, qui aperte Antecessori meo unam voluntatem Domini Christi esse tradidit?* Respondit Maximus: *Quis fuerit fide & auctoritate dignus epistola hujus interpres, qui eam ex persona Honorij scripsit adhuc superstes, & qui totum Occidentem cum virtutibus, tum dogmatibus fidei illustravit? an ij qui Constantinopoli, quæ ex corde erant, loquebantur?* Pyrrhus: *Cui hanc composuit.* Maximus: *Is igitur ipse cum ad Divum Constantinum Imperatorem ex Persona rursus sancti Papa Joannis de hac epistola scriberet, dixit: unam diximus voluntatem in Domino, non Divinitatis & Humanitatis, sed Humanitatis solius; cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates contrarias ponerent; diximus Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis videlicet & Spiritus, sicut nos habemus post peccatum (a) &c.* Hæc Maximus, cui Pyrrhus acquievit, nec habuit, quod reponeret. Contigit verò hæc disputatione Anno Christi DCXLV. hoc est annos triginta sex, antequam Concilium Constantinopolitanum convenerit. Considera, an Maximus hæc dicere auderet, an Pyrrhus reciperet, nisi uterque vera esse & extra dubium credidissent. Repertur etiam in Collectaneis Anastasij à doctissimo Sirmondo editis Apologia Joannis Papæ IV. ad Constantinum Imperatorem Heraclij Filium, epistolas Honorij Catholicas esse, nec ullâ hæresi inquinatas, & fraude Monothelitarum in alienos, perversosque sensus expofitas. Hoc scriberet Joannes Constantinopolim & Imperatori, nisi certus veritatis? alioquin convinci poterat falsitatis, & palàm argui epistolis, quas Honorius scripserat, in lucem depromptis. Sic in Synodo Lateranensi (b) sub Martino Papa & Martyre, & in Romana sub Agathone, ubi accuratè de hæresi Monothelitarum à Patribus actum, damnatiquè nominatim Theodorus, Cyrus, Sergius, Pyrrhus & Paulus, nullâ Honorij mentione; at qui potuit præteriri, si eadem tinctus

(a) V. Dialogum Græcolatinum S. Max. apud Baron. in App. Tom. 8. (b) Concil. Lateran. sub Martino. PP. Anno 649. Concil. Rom. sub Agath. Anno 680.

labe, & in sexta Synodo eodem fasce cum alijs hæreticis implici-
tus? sicetiam Phorius, (a) Zonaras, & Paulus Diaconus, ubi enume-
rant in sexta Synodo damnatos, nullam habent Honorij men-
tionem. Ex quibus omnibus deducas, meritò, & à quamplurimis
asserì, Honorij nomen aut fraude, aut errore in acta Concilij de-
venisse, & postea in alios quàm plures; quamvis ut supra monui,
difficile sit causam & originem erroris aut fraudis evolvere; la-
tente videlicet radice, & ramos tantum ostentante; non enim se-
quitur non esse, quæ sunt occulta. *Quintò.* Sed quidquid sit de Ho-
norij lapsu, illud certum est, nihil obesse infallibilitati Pontificum,
& auctoritati, quam illis in Concilio tribuimus. Epistolæ, quas
Honorius ad Sergium dedit, privatæ sunt, nec fideles alloquun-
tur, nec quidquam decidunt; quamvis enim ex lege contradi-
ctoriarum oporteat duas voluntates & operationes in Christo esse,
vel non esse; Honorius tamen neutrum vult dici, sed tantum duas
cum proprijs operationibus; quod planè non est decidere, sed rem
in medio, & suspensam relinquere. At verò non in omni casu, nec
in quovis scripto nos Pontificem infallibilem esse dicimus, ac erro-
ris securum; sed tunc solum, cum Pontificem agit, & Magistrum
Ecclesiæ, hoc est, cum actum aliquem exercet, qui ad solum Ponti-
ficem pertinet, qualis non est epistolas scribere, aut scriptis respon-
dere, & quid consultum credas, aperire; id enim non soli Pontifici
Romano, sed cuivis, non Episcopo solum, sed etiam privato per-
missum est; cum enim hoc privilegium infallibilitatis in publicum
Ecclesiæ bonum vergat, noluit DEUS illud Personæ, sed officio
annecti, & tunc solum præstò esse, cum Pontificali officio fungere-
tur, eo ferè modo, quo in veteri Testamento non semper, nec
quovis tempore oracula Pontifici dabantur; sed tunc solum, cum
Pontificio apparatu cultuque Templo & arcæ se sisteret, quæ cum
alibi fusè sint (a) demonstrata, repeti non debent. Nec verò, ut
inquit Maimburgus, (b) *sunt hæc enigmata, & responsa ambigua, ac plena
obscuritatis, & quæ nec illi satis intelligunt, qui ea proferunt;* enimverò oportet
Maimburgum in alio orbe natum, & nunquam, non dicam in
scholis, sed nec in foro aut palatio visum, qui ea pro obscuris &
impervijs habeat, quæ nemo non videt; quis enim tam simplex,
F rudisquæ

(a) Y. Reg. Sacerdot. fol. 487. (b) Maimb. Tract. Histor. c. 12. f. 127.

rudisque, & humanæ societatis ignarus, qui nesciat, non omnes Regum actiones Regias esse, & privilegio Majestatis gaudere? nec omnia Judicum verba & epistolas ad leges & edicta pertinere? quæ si clara & obvia sunt, & omnibus comperta; quæ tandem sunt illa arcana vocésque impenetrabiles, nec ipsis loquentibus notæ, cum nos dicimus, non omnia Pontificum scripta ad oracula & dogmata pertinere, sed ea solum, quæ ut Pontifices & Ecclesiæ Magistri, atque à Cathedra pronuntiant? hoc est, cum rebus maturè discussis causam aliquam definiunt, jubentque definita pro fidei veritatibus haberi, eosque, qui secus credunt, haberi pro hæreticis volunt? hic est actus Pontificiæ auctoritatis, & in hoc falli aut errare Pontifices posse negamus: nec unquam Maimburgus contrarium ostendet: in alijs verò actibus, qui Pontificiæ potestati non sunt proprii, falli eos posse, communique mortalium conditioni erroribus obnoxia subiacere ultrò concedimus. Denique ut brevi argumento omnia concludam: aut Honorius hæreticus fuit, aut non fuit? si non fuit, falsa ergo accusatio, nullòque fundamento nixa, quæ ex illo consequuntur: si hæreticus fuit, concedimus Papam hæreticum judicari à Concilio posse, neque hoc in quæstione vertitur; cum enim fides sit vita Corporis Mystici, aded ut ex mente S. Pauli, Justus ex fide vivat: qui fidem non habet, non est membrum vivum Ecclesiæ; qui ergo erit Caput Ecclesiæ, qui ne membrum quidem est? & ided sacris Canonibus (a) toties definitum est, Pontificem Romanum in sola hæresis causa judicari à Concilio posse, quia videlicet sola hæresis facit, ut desinat esse membrum, & consequenter caput Ecclesiæ. Vides ergo Exempla à Maimburgo adducta tot partibus laborare, ut non tantum evidentibus demonstrationibus accenseri non possint, quales ipse promissit, sed vix levibus conjecturis; quippe aut ex dubijs principijs, aut ex falsis procedunt, aut extra statum quæstionis vagantur: capiunt tamen, eliduntque ignaros, Tartarorum excursionibus similes, imbelli tantum plebi, minutæque infestos, sed armatis impares.

X. *Obijciuntur.*

(a) C. audivimus 24. q. 1. c. Novatianus q. 1. c. didicimus. c. Achatius 24. q. 2. c. oves 2. q. 7. c. si Papa. d. 40. Cajet. Tr. de auct. Conc. & Pap. c. 20. S. Anton. in summa, tert. p. T. 23. c. 3. §. 4. Suar. de fide. p. 10. f. 6. Bellarm. de Rom. Pontif. l. 2. c. 30. V. Reg. Sacerd. f. 415.

X. *Obijciuntur.* 5. Donatistæ in causa schismatis Carthaginensis, cum Cæcilianum ejus Ecclesiæ Episcopum Romæ multis querelis onerassent; is verò sententiâ Melchiadis Papæ absolutus esset, ad Concilium appellârunt, idque Constantini Imperatoris Arelate ijs datum, magno Episcoporum numero frequens. In eo sententia in Donatum dicta, innocentia Cæciliani probata. De hoc Concilio ita Augustinus: *Putemus illos Episcopos, qui Romæ judicârunt, non bonos judices fuisse: restabat adhuc plenarium Ecclesiæ Universalis Concilium, ubi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari, ut si malè judicâsse convicti essent, eorum sententiæ solverentur.* Fatetur ergo Augustinus minorem Pontifici auctoritatem quàm Concilio esse: ab hoc enim judicari Pontificum sententias posse, solvique. Exclamâtque hic Maimburgus, perinde ac si bellum confectum, nec alia cura, quàm elevandi trophæi esset: (a) *Ingenudè, inquit, liberèque fator, nullo magis exemplo constare Pontificum sententias tribunali Conciliorum submitti; in hoc enim examinari possunt, corrigique, si injusta appareant.*

Resp. Historia Concilij Arelatensis sic habet: Anno Christi CCCVI. Cessatum est in Africa à fidelium persecutionibus, Maxentij Imperatoris seu indulgentiâ, seu metu: quippe Christianos lucrari properabat Constantino Imperij æmulo palàm addictos. Contigit eodem tempore Mensurium Carthagine Episcopum morte defungi: successit omnium votis Cæcilianus Mensurij quondam Diaconus, consecravitque Felix Aptungitanus Episcopus. Vehementer hâc electione Botrus & Cælestius offensi, quibus & spes fuerat, & par ambitio, eas infulas occupandi, nunc spe dejectos cupido incesserat vindicandi; auctusque æmulorum numerus seniorum factione, à quibus sacra vasa auro, argentoque insignia novus Episcopus repetierat: sed quod peius omni malo, sæmina præpotens, iraque & opibus ferox tempestatem ciebat. Lucilla ea fuit, quam cum Episcopus objurgâisset, quòd indignâ superstitione prius cineres cujusdam cadaveris libaret, (quod Martyris fuisse necdum satis constabat) quàm sacro epulo accumberet, immenso objurgantis odio flagravit, effuditque, ut licuit. Quæsitæ criminationes, quæ odium obtegerent; videlicet: *Quòd alienâ manu consecratus esset, Secundo Tegisitano Episcopo & Numidia Primate*

F 2

præ-

(a) Maimb. cit. cap. 18. f. 159.

præterito, neglectoque. Quid Martyres, qui carcere tenebantur, fame necasset; quodque à Traditoribus sacris initiatus. Paratis ergò calumnijs Cæcilianum in jus vocant, causam dicturum: is negat se adesse posse, Judicibus jam odio corruptis, & palàm adversis. Absentem ergò in Conventu 70. ferè Episcoporum damnant, eique Majoranum sufficiunt Lucillæ præcharum; hinc natum schisma pertinax, funestumque, Duce præsertim Donato Episcopo, qui nomen factioni dedit, auxitque eloquentiâ populari, ac rebus turbandis aptâ. Nihil movem Cæcilianus, innocentiam, & Pontificis Romani tutus auctoritate: audi Augustinum: (a) *Conspirantem multitudinem inimicorum non curabat, cum videret se & Romanæ, in qua Apostolica Cathedra semper viguit Principatus, & cæteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum, ubi paratus esset causam suam dicere.* Donatistæ, cum causæ suæ ac Romæ diffiderent, à Constantino Imperatore, qui tunc in Gallijs morabatur, Gallos judices petunt. (b) Constantinus Romam, cum litteris ad Melchiadem Pontificem mittit, illic enim causas majores agitari oportere; additi tamen tres è Gallia Antistites, Maternus Colonienfis, Rhegius Augustodunenfis, & Marinus Arelatenfis Episcopi, quibus Itali quindecim adjecti: Cæcilianus omnium votis absolutus, sed præsertim Melchiadis sententiâ, de qua ita (c) Optatus: *Etiâ Melchiadis sententiâ, quâ judicium clausum est his verbis &c.* Et Augustinus: (d) *Qualis ipsius Melchiadis prolata est sententiâ, quàm integra, provida atque pacifica &c.* & post pauca: *O Virum optimum, Osilium Christianæ pacis, & partem Christianæ plebis!* Provocatum à Donatistis ad aliud & plenius Concilium, ut apertè testantur DD. Augustinus (e) & Optatus: & quamvis Constantinus provocationi cesserit pacis studio, eam tamen provocationem, & ipse & alij Patres detestati sunt, & impiam crediderunt. Audi S. Optatum, qui cum Melchiadis sententiam retulisset, continuò hæc subdit: (f) *Sufficit ergò etiâ Donatum tot sententijs esse percussum, & Cæcilianum tanto judicio esse purgatum, & tamen Donatus ab Episcopis appellandum esse credit, ad quam Appellationem Constantinus*

(a) S. August. epist. 162. (b) V. S. Optat. l. 3. contra Parmenian. (c) Optatus loco cit. (d) Aug. epist. 162. (e) August. in psal. contra part. Donati. Optatus lib. cit. (f) Optatus l. 1. contra Parmenian. Idem factetur Maimb. Tract. hist. cap. 18. fol. 157.

stantinus sic respondit: *O rabida furoris audacia! sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Tantum ergo abest, Constantinum hanc provocationem pro legitima habuisse, ut eam furoris & audaciæ plenam dixerit, & Christianis indignam: nota tamen hæc verba à Constantino repetita videri, cum postea iisdem Donatistæ à Concilio Arelatensi ad Augusti tribunal provocârunt, ut animadvertit Sirmundus, & eruditissimus Schellstrate. (a) Invehitur in eandem provocationem Constantinus epist: ad Chrestum Episcopum Syracusanum apud Eusebium, (b) & præsertim Augustinus: (c) *Tanta, inquit, auctoritatis Episcopos, quorum iudicio & Cæciliani innocentia, & eorum improbitas declarata est; non apud alios collegas, sed apud Imperatorem accusare ausi sunt, quod male iudicârunt. Dedit ille Arelatense Concilium, non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, & omnimodò cupiens eorum impudentiam cohibere.* Et iterum: *Néque enim ausus est Christianus Imperator sic eorum tumultuosas & fallaces querelas suscipere, ut de iudicio Episcoporum, qui Roma sederant, ipse iudicaret.* Ubi vides hanc provocationem ab Augustino impudentia & perversitatis notari, & fallacibus ac tumultuosis querelis accenferi; quod etiam de Marca Archi-Episcopus Parisiensis fatetur: (d) *Alienum, inquit, putabat Constantinus, à disciplina, res à Pontifice Romano iudicatas referri.* Sed tamen ut dixi concordia datum, ut causa Cæciliani iterum cognosceretur. Id factum in Concilio Arelatensi. Convenerunt Patres ex toto ferè Occidente, Gallia videlicet, Hispania, Italia, Africa ac etiam Britannia, quæ causa est, ut Augustinus hoc Concilium plenarium vocet, (e) & ex *Universa Ecclesia collectum.* Numerus Episcoporum ex communi sententia non minor ducentis; id enim expressè testatur S. Augustinus: (f) *quamvis Ado (g) sexcentos numeret.* Cæterum non videtur hoc Concilium verè & in rigore Oecumenicum appellari posse, sed solum Patriarchale, cum ad illud nemo ex Oriente convenerit, sed illi tantum Episcopi, qui Patriarchatui Romano parebant, is verò totam Europam complectebatur, & provincias Africæ Occidentales; & huiusmodi Concilia, imò etiam Nationalia sæpè à sanctis Patribus uni-

F 3 versalia

(a) Schellstr. Antiq. illustr. p. 2. dissert. 1. c. 7. a. 3. §. 1. n. 122. (b) Euseb. lib. 10. cap. 5. (c) S. August. epist. 162. (d) Marca lib. 4. de Concord. cap. 17. n. 2. (e) S. August. l. 2. de Bapt. contra Donat. (f) S. August. lib. 1. contra epist. Parmen. cap. 5. (g) Ado in chron. ætat. &c.

versalia appellantur, ut patet ex Concilijs Romanis sub Symmacho, Toletano III. c. 18. & Carthaginensi IV. quæ omnia universalia dicuntur, quamvis ex una tantum Provincia collecta; quanto ergo magis Arelatense gaudere hoc titulo poruit, cui Episcopi ex tot Provincijs, Regnisque aderant? Et sanè omnium ferè sententia est, Concilium Nicænum fuisse primum Oecumenicum. Adfuisse huic Concilio Legatos Silvestri Pontificis dubium non est; ij enim nominantur initio Concilij Arelatensis primi, videlicet Claudius & Vitus Presbyteri, Eugenius & Cyriacus Diaconus. Sed dubium est, an præfederint, cum in epistola Synodali Marinus cæterique Episcoporum nominentur nullâ mentione Legatorum factâ: Et in Synodo Arelatensi II. can. 18. dicatur: *ad Arelatensis Episcopi arbitrium Synodum congregandam.* Sciendum ergo est, non omnes Pontificum Legatos semper Concilijs præfedisse, præsertim Provincialibus; nec semper primo loco positos, nisi cum mandato præsidendi mitterentur, quod exemplo Constantinopolitanæ Synodi abundè probatur, in qua Anthimus damnatus est præsidente Menna Patriarcha, alijs verò Legatis Apostolicæ Sedis post Mennam aliósq; Episcopos subscribentibus, ut haberetur in sententia contra Anthimum *sess. 4.* Sic etiam summus Pontifex alicui ex Græcis Episcopis suas partes munúsque præsidendi imponebat, quo casu Romani Legati primo loco abstinebant: sic Cyrillus Concilio Ephesino nomine Cælestini, Mennas nomine Agapethi Pontificum præfuere: sic denique S. Leo Anastasium Thesalonicæ Episcopum suum per Illyricum constituit Vicarium, Gregorius Augustinum per Angliam, Leandrum per Hispaniam, Zosimus (a) Archi-Episcopum Arelatensem per Galliam: qui Vicarij Primates appellabantur, omnesque Metropolitanos & Archi-Episcopos dignitate & loco anteibant: eisque inter alia, quæ nomine Pontificis peragebant, illud etiam concessum, ut nomine Pontificis Concilia Nationalia convocarent. Hæc ergò causa fuit, ut Marinus Arelatensis Episcopus ante alios Legatos Concilio præfederet: idque sequentibus annis frequenter evenit, ut videlicet Arelatenses Episcopi Vicarij Apostolici & Primates essent; apertèque etiam colligitur ex canone 12. Concilij

Are-
(a) V. epist. 5. Zosimi Papæ ad Episc. Gallia. & libellum Episcoporum Provinc. ad Arelat. Leon. I.

Arelatenfis secundi: *Ad Arelatenfis, inquit, Episcopi arbitrium Synodus congreganda.* Sed quo jure Arelatenfi hoc comperat, nisi quia Vicarius Romani Pontificis, & ided Primus? Cæterum missa fuisse acta Concilij Romam, & illic confirmata, dubium non est ex Epist: Synodali, quam Patres ad Silvestrum dedere, & habetur post acta Concilij, quod etiam Bail Doctor Parisiensis ingenuè professus est Tom. 2. ad hoc Concilium: *Ipsa, inquit, Synodus Arelatenfis subditam se agnovit Pontificis jurisdictioni, ut testata est per Epistolam Synodicam ad Silvestrum Melchias Successorem, missam eo fine, ut quæ statuisset, auctoritate Pontificiâ confirmaret.* Sed & illud egregium reverentiæ in Pontificem argumentum, quod licet inter duas partes judicium verteretur, Cæcilianum videlicet Donatumque; istum accusatorem, illum accusatum; noluit tamen Concilium, ut partes Rei Cæcilianus sustineret, quippe jam à Melchiade absolutus, sed eum, ejusque socios Episcopos inter Patres Judicis Concilij admittit, & ided tam in Epistola Synodica, quam etiam in sententia contra Donatum lata Cæcilianus subscribit. Quæ verò ratio, ut Cæcilianus Romano Tribunali reus assisteret; Arelatenfis verò Collega & Judex, nisi quia Patribus indignum videbatur, ut pro Reo haberent, multoque minus ut damnarent, quem Roma absolvisset? non ergo id agebant Patres Arelatenfes, ut corrigerent, aut in dubium vocarent à Pontifice judicata; sed ut convincerent Donati impudentiam, alios semper, aliosque judices fatigantis: nam ab hoc etiam Conventu ad Augustum provocavit; at iste in hæc verba rescripsit cedo & æternitate digna: (a) *Meum judicium postulant, qui ipse judicium Christi expecto; dico enim, ut severitas habet, sacerdotum judicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens judicet; nihil enim licet his aliud sentire, vel aliud judicare, nisi quod Christi Magisterio sunt edocti.* Hæc est series & historia Concilij Arelatenfis, non meâ, sed scriptorum omni exceptione majorum fide, & ex ipsis authenticis actis, quæ ad marginem notavi, exposita. Promptum jam erit quàm plurima ex ijs deducere, quæ obiecta Maimburgi non refellant tantum, sed etiam malæ fidei convincant. Nam primo Argumentum ex Concilio Arelatenfi sumptum Maimburgus à Calvino didicit, exscripsitque, quod in hoc homine ferè perpetuum,

(a) Rescript. Constant. apud. Optat. l. i. contra Parmenian.

rium, nihil enim novi affert, præter styli condimenta; alia ex Il-
 lyrico, Centuriatoribus & Calvino collecta, dissimulatis Catholi-
 corum responsis, quæ cum vinci non possent, celata maluit, quam
 producta. Verba Calvini sunt: *Constantinus appellationis iudicium de-*
mandat Episcopo Arelatenfi, sedet ille iudex, ut post Romanum Pontificem, quod
visum fuit, pronuntiet. Si Romana Sedes Summum habet iudicium sine provocatio-
ne, cur sibi tam insignem calumniam irrogari permittit Melobiades, ut sibi Episco-
pus Arelatenfis præferatur? En tibi Calvinii voces, & sensa Maimburgi
 simillima! enimverò miserrimam causam, quæ juvari non potest,
 nisi pudendis auxilijs. *Secundò* ostendit Maimburgus, se ne quidem
 intelligere, qui sit status Controversiæ, & qui sensus quæstionis,
 quam tanto studio sed cæco versat, ut cogar de illo dicere, quæ
 olim S. Gregorius: (a) *Non intelligentes neque de quibus loquuntur, neque*
de quibus affirmant. Quærimus enim an in rebus ad fidem spectantibus
 major sit Concilij, an Pontificis auctoritas? Maimburgus Conci-
 lium præfert, allegatque Cæciliani exemplum; at in eo non de
 fide, sed de facto & delicto agebatur, an videlicet Cæcilianus sacros
 Codices prodidisset, & Martyres inediâ confecisset: quid rogo
 facit iudicium delicti ad iudicium fidei? aut quæ consequentia à
 tam disjunctis? fieri enim potest, ut in factis, quæ sub oculos ho-
 minum & testes cadunt; major sit penès Patres notitia, qui factum
 conspexere; quam penès Pontifices procul remotos, quique ob
 hanc ipsam causam cognitionem facti alijs, vicinisque committunt.
 Nam & Columbo ex novo, nobisque opposito orbe redeunti, ac
 postea tot alijs testibus major fides habita, quam Zachariæ Pontifici,
 (b) alios sub terra homines, hoc est, Antipodas neganti, & pro-
 pterea sanctum Virgilium graviter reprehendenti. Deinde constat
 Concilium Arelatense à Silvestro Pontifice approbatum, confirma-
 tumque fuisse: atqui nulla quæstio est de Concilij à Pontifice
 confirmatis: cum enim quærimus, an Pontifex sit supra Conci-
 lium, non quærimus de eo Concilio, cuius pars Pontifex fuit, &
 quod ipse confirmavit; sed de Concilio Papæ opposito, cum vi-
 delicet aliud Pontifex, aliud Concilium definit, & diversa utrius-
 que sententia est, quemadmodum cum quærimus, an testum sit
 alius domo? quæstio non est de testò, ut est pars domus (si enim
 nec

(a) Greg. lib. 4. epist. 14. (b) V. Baron. ann. 748.

nec tectum nec domus altior, cum sint una tantum res, & tectum pars domus) sed de tecto, ut res à domo reliqua distincta, & de domo ut separatà à tecto & non conjunctà. Quæ cum planè sint nota, & in primis Logicæ rudimentis exponi soleant, mirum est à Maimburgo ignorata, & ita nec statum quæstionis intellectum. An forte non tam illi studium fuit apta, quàm multa congerere? quippe regendis falsis multitudo opportuna. *Tertiò*. Supponit Maimburgus Concilium Arelatense Oecumenicum fuisse (constat enim alia, quæ Oecumenica non sunt, Pontificibus haud præferri) at contrarium ostendimus, videturque omnium ferè sententia, qui Nicænum pro primo Oecumenico statuunt; ergo nec hoc quidem ad rem & propositum facit. *Quartò*. Certum est, ut supra observatum, in hoc Concilio non de fide, sed de facto, & delicto disputatum esse. Quæro igitur ex Maimburgo, extra fidei causas, & ubi de facto, aut delicto Episcoporum agitur, an Concilium supra Pontificem esse credat, aut non credat? si non credit, cur ergo exemplo utitur, suo etiam judicio ac sententiâ inutili, vanoque? si credit, manifesti erroris tenetur; constat enim exemplis, doctrinæque SS. Patrum extra fidei causas, & ubi de Episcoporum juribus & delictis agitur, errare Concilia posse, corrigique à Summis Pontificibus debere: sic canon quintus Synodi Constantinopolitanæ, & canon vigesimus octavus Synodi Chalcedonensis, qui in præjudicium Patriarchæ Alexandrini vergebant, à Leone I. & Gregorio M. aliisque intermedijs Pontificibus improbati sunt, abrogatique. Audi S. Leonem ep. 6. ad Synodum Chalcedonensem: (a) *Ut & fraterna Universitas, & omnium fidelium corda cognoscant, non solum per fratres, qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum Synodaliū propriam vobiscum iussisse sententiam, in sola videlicet fidei causa, quod sæpè videlicet dicendum est.* Et Gelasium Papam in Tomo de Anathematis Vinculo: (b) *Ne fortè quod solem dicant, quòd si Synodus Chalcedonensis admittitur, omnia constare debeant, qua illinc videantur esse deprompta. Cognoscant illud secundum scripturas sanctas, traditionemque Majorum, secundum Canones, regulasque Ecclesie, pro fide communi & veritate Catholica, pro qua hanc fieri Sedes Apostolica delegavit,*

G fa-

(a) S. Leo epist. 53. ad Pulcher. & 59. ad Synod. Chalc. & ad Martian. Imp. & ad Anatoli. Patriarch. & S. Greg. lib. 6. epist. 31. (b) Gelasius I. PP. Tom. de Anath. vinc. Tom. 2. Concil. inter opusc. Gelaf.

factamque firmavit, à tota Ecclesia indubitanter admitti: alia autem, quæ per incompetentem præsumptionem illic prolata sunt, vel potius ventilata, quæ Sedes Apostolica gerenda nullatenus delegavit, mox à Vicarijs Sedis Apostolica contradicendum manifestum est, quæ Sedes Apostolica etiam petente Mariano Principe nullatenus approbavit. Similia habet S. Gregorius M. in epistola (a) Pelagij II. nomine ad Episcopos Istriæ scripta. Imò ipse Maimburgus, hoc ipso Tractatu, quem refutamus, & alibi apertè docet, causas Episcoporum, præsertim, cùm de illis deponendis agitur, ad Summum Pontificem pertinere; sic enim loquitur cap. 5. *De plus come Pape est sans contredit par dessus chaque evesque de quelque dignité qu' il soit; & par dessus toutes les eglises, & tous le synods particuliers, on peut appeller de tous ces evesques, & de tous ces synods à son tribunal. C'est à luy de juger des causes majores, come sont celles, qui regardent la foy, la deposition des Evesques, &c.* Hoc est: cùm dubitari non possit, Majorem esse Pontificis Romani, quàm singulorum Episcoporum, quantacùmque dignitate ij sint, aut Synodorum particularium auctoritatem; sequitur, ut ab Episcopis quibuslibet, Synodisque ad Tribunal Pontificis appellari possit: hujus officij est, de majoribus causis judicare, quales sunt quæ fidem aut Episcoporum depositionem spectant. Si ergo Conciliorum exemplis, sanctorumque Patrum assertionem, & ipsâ confessione Maimburgi certum est, à Synodis particularibus (qualis fuit Arelatenfis) ad Summum Pontificem appellari, præsertim in causis Episcoporum; aded ut etiam in Concilijs Oecumenicis contra Episcopos statuta, fuerint postea à Romano Pontifice revocata, neque hoc negari possit: quâ rogo fiduciâ Maimburgus dicere potuit: *Majorem Concilij Arelatensis auctoritatem, quàm Pontificis fuisse? & hujus tribunal, illius tribunali subjectum, atque à Pontifice pronuntiatam sententiam potuisse ab eo Concilio examinari, delerique?* Num ergo Maimburgus ignorabat causas Episcoporum, qualis erat, quæ Arelate agitabatur, maxime cùm de eorum depositione agitur, ad Pontificem pertinere? Num eum latebat, non solum quæ in Synodis particularibus, sed etiam, quæ in Oecumenicis contra Episcopos decreta fuerant, à Pontificibus sublata esse, ac penitus rescissa, idque toto Orbe comprobant? aut forsan major Arelatenfi, quàm Chalcedonensi, & Constantinopolitano Concilijs auctoritas & dignitas fuit? & hæc tamen

(a) Epistola Pelagij II. quæ habetur in fragmentis Synodi quintæ Tom. 2. Conc. p. 2.

tamen, cum de Episcopis statuissent, Roma correxit, abolevitque: idque jure factum & Imperator Martianus, & Patriarcha Anatholius, quamvis hostis, agnovit; Leo quoque, Gelasius, Gregorius, aliique testati sunt: qui ergo dici potuit Arelatense Tribunal Romano præfuisse, si corrigi, si judicari, damnarique ab isto potuit, idque exemplo tot aliorum? *Cur ergo, inquires, permisit Melchiodorus Romanam sententiam inferiori, externoque, sibi Tribunali? R.* Quia pacem & concordiam amabat, sperabatque, quod etiam evenit, eorum pertinaciam fatigari hæc conniventia, vincique posse; nec verò alienum, externumque Tribunal fuit, cui Legati aderant, quodque ipse confirmabat, Concilium ergo Arelatense non eâ conditione aut peritum, aut admissum est, ut de Melchiodis sententia judicaret; sed ut instrueret, frangeretque obstinatos, non majori quidem, sed repetita auctoritate. Alioquin si idem Pontifices Concilio subduntur, quia causa semel à Pontifice decisa in Concilij iterum examinata est, sequeretur Concilia etiam Imperatoribus subdi; cum enim Donatistæ in Concilio Arelatensi damnati essent, illi ipsi ad Constantinum Imperatorem provocârunt, auditique sunt, ne aliquis esset excusationis locus: audi Augustinum: (a) *Atq, utinam saltem ipsius Constantini judicio insanissimis animositatibus suis finem posuissent, atque ut eis ipse cessit, ut de illa causa post Episcopos judicaret, à sanctis Anistitibus postea veniam petiturus, dum tamen alij, quod ulterius dicerent, non haberent, si ejus sententia non obtemperarent, ad quem ipsi provocaverunt; jussit enim ille, ut ei partes occurrerem Romam ad agendam causam, quò cum Cæcilianus nescio qua de causa non occurrisset, præcepit, ut Mediolanum sequerentur, quò cum etiam Cæcilianus pervenisset, ipsum quoque sicut scripsit, exhibuit, cognitâque causa, qua diligentia, qua cautela, qua provisione, sicut ejus indicant littera. Vides hic Cæcilianum jam à Synodo examinatum, auditum, abfolutumque: ab Imperatore citari iterum, examinari, abfolvi; an ergo Imperator supra Concilium, examinari, examinari, abfolvi; quare Concilium supra Pontificem, quia à Pontifice ad Concilium Donatistæ provocârunt? si enim provocatio sit signum subjectionis, sequitur non solum Pontificem infra Concilium esse, sed etiam Concilium infra Imperatorem: quippe & à Pontifice, &*

G 2

à Con-

(a) S. August. epist. 67.

à Concilio provocatum est; quòd si dicas temerariam fuisse à Concilio provocationem; dicam & ego temerariam fuisse à Pontifice Romano, & quid dico temerariam? (a) imò *perversam, impudentem, rabidam, furisam, audacemque* Constantinus & Augustinus appellant.

At, inquit, Maimburgus, S. Augustinus eadem epistolà hæc habet: *Putemus illos Episcopos, qui Roma judicârunt, non bonos judices fuisse; restabat adhuc Ecclesiæ Universalis Concilium, ubi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari, ut si malè judicâsse convicti essent, eorum sententia solverentur.* Supponit ergo Augustinus, errare Romanum Pontificem, ejusque sententias à Concilio corrigi, solvique posse, quæ omnia sunt argumenta superioritatis.

Resp. Si hæc sint argumenta superioritatis, sequitur omninò multò supra Concilium Pontifices esse, palàm enim est, ab istis Concilia Oecumenica non solum correctà, sed etiam temeritatis damnata esse, cum perperam de Episcopis eorumque causis statuisent, quod supra de Constantinopolitano & Chalcedonensi Concilijs, & testimonijs Leonis, Gelasij, & Gregorij ostendimus; nobis ergò pugnat Maimburgus, quamvis invitus. Sciendum igitur est sententias Romani Pontificis immotas quidem ratasque esse, nec ullius subjectas Tribunali, imò ab illis velut à quibusdam Lineis regulisque Concilia pendere, quod alibi fusè (b) ostensum est, fateriturque & confirmat auctoritate S. Augustini Maimburgus ipse libro (c) de vera Ecclesia, quando videlicet tranquillo placidòque animo, & affectibus libero veritatem admittebat, adu-landi adhuc rudis; sic enim scribit: *Après que ceux de Cartage & de Numidie l'eurent jugé contraire alla Doctrine de la foy, on attendit la décision du Pape Innocent. Durant cette intervalle saint Augustin écrivant à Hilaire d'Arles de cette Nouvelle herésie de Pelagius, dit qu'elle non est pas encore ouvertement reconnue par toute de toute l'église. Mais aussitost, que le Pape Innocent eut fait contre elle la Constitution, qui fut receuë avec tant d'applaudissement de toute le Chrestien; alors le dogme de Pelagius fut tenu universellement par tout pour heretique, & ce saint Docteur declarant ce, que le souverain Pontife avoit des- fin, auquel on avoit envoie le deux Conciles d'Afrique, ajousta ces belles paroles: De hac causa jam duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam Rescripta venerant, causa finita est, utinam aliquando error finiatur.* Je scays bien,

(a) Constantin. epist. ad Chrestum Epif. Syrac. apud Euseb. lib. 10. August. epist. 16a. (b) Regal. Sacerdot. l. 2. (c) Maimb. l. de la Uray Egl. scit. 7. fol. 304.

bien, que cette hérésie fut condamnée encore quelque temps après au Concile d'Éphèse ; (a) Mais ce fut sans en faire une plus exacte discussion, & comme un erreur déjà reprouvée par un jugement légitime, comme les Pères le déclarent dans la lettre synodale au Pape Célestin. Hoc est: Postquam à Carthaginis, Numidiæq; Patribus declaratum est, hæresim nuper à Pelagio conceptam editamque fidei adversari, adhuc tamen quid de illa Innocentius Papa definiret, expectabatur. Interim verò decisione illius necdum vulgatâ, scribit Augustinus (b) Hilario Arelatensi, errores Pelagij nondum à tota Ecclesia hæresis damnatas; nondum, inquit, evidenter ab Ecclesia separata est. Ubi verò Innocentij constitutio eam hæresim damnantis summâ omnium gratulatione fidelibus innotuit; enimverò dogma Pelagianum à tota Ecclesia pro hæretico habitum crediuntque. Et ipse S. Doctor, cum Populo explicaret, quæ in hac causa Romanus Pontifex, cui duo Africa Concilia transmissa fuerant, decrevisset, in hæc verba prorumpit digna memoratu: de hac causa jam duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam &c. Non me equidem latet, paucis post annis hanc ipsam hæresim in Concilio Ephesino confixam esse; sed id obiter cursimque factum; quippe causâ per legitimum ac solemne iudicium jam finitâ, quod Patres Ephesini in epistola Synodali ad Celestinum Pontificem aperte professi sunt. Hæc Maimburgus, cum animo adhuc integro scriberet, intactoque affectibus aulæ, quibus fatetur, in rebus fidei dictâ semel à Pontifice Romano sententiâ causam finiri, nec amplius aliquid superesse, quod oporteat à Concilijs agnosci, decidique, eamque Augustini mentem, & Synodi Ephesinæ fuisse, quod & elegantibus verbis S. Prosper insinuat:

-- Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta caput Mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet.

Ergò ut ostendi Papæ sententia etiam ante vota Concilij firma & erroris tuta; sæpe tamen eam Pontifices ad Concilium referrebant, non quòd huic subessent, sed quia in rebus factum spectantibus major penès plures, quàm unum notitia, & ut omnem tergiversandi occasionem adversarijs adimerent; nec aliud Pontificis & Concilij Tribunal erat, sed unum, idemque; quippe nihil valiturum, nisi Roma subscriberet, & quod illi statuisent, ipsa firmasset: Patres ergo numerum, sed pondus Pontifices dabant; id quod

G 3

(a) Concil. Ephesin. act. 5. (b) August. epist. 94.

id quod S. Zosimus eleganter expressit litteris ad Concilium Carthaginense datis: (a) *Quamvis, inquit, Patrum traditio Apostolica Sedis auctoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nullus audeat: idque per Canones semper, regulasque servaverit, & currens adhuc suis legibus Ecclesiastica disciplina Petri nomine, à quo ipsa quoque descendit, reverentiam quam debet exolvat. Tamen cum tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia, nihil edimus, quod non ad vestram notitiam nostris ultra litteris referremus, dantes hac fraternitati, ut in commune consulentes, non quia quid deberet fieri, nesciremus, aut faceremus aliquid, quod contra Ecclesiam utilitatem veniens displiceret, sed pariter vobiscum volumus habere tractatum de illo &c. &c.* En tibi sententiæ nostræ, & confutati Maimburgi luculentum testimonium! Asserit Zosimus, tantam esse Apostolicæ Sedis auctoritatem, ut de ejus judicio disceptare nullus audeat, nec ejus sententiam retractari posse, idque Patrum traditione acceptum, & firmatum esse. Quid possit contra Maimburgum clarius dici? & observa non hæc in angulis, latebrisque Zosimum scribere, sed plena in luce, subque oculis Carthaginensis Concilij, à quo facile argui poterat, convincique, nisi verà & comperta scripsisset vel dixisset. Quia verò Zosimo objici poterat, quod nobis objecit Maimburgus: *Cur videlicet summi Pontifices sententias suas Conciliorum examini submittant, si judicari à nullo possunt? Cur Innocentius Pontifex causas à se finitas ad Concilium Arelatense referri est passus?* Respondet Zosimus: *Non idèò factum, quòd aut nescirent Pontifices, quid fieri deberet, aut facere aliquid possent, quòd Ecclesia utilitati adversaretur, sed ut fraternitati deferrent &c.* Ubi vides jam ante mille & ducentos ac supra annos, hoc est, florente Ecclesiâ, & ubi nulla fastûs suspicio, aut cupiditas aliena usurpandi, sententiam hanc nostram pro vera, certâque habitam, & Patrum traditione subnixam, videlicet sententias Romani Pontificis nullius judicio subiectas, & erroris expertes esse, id enim apertè sonant ea verba: *De ejus judicio disceptare nullus audeat: nullus de nostra potest retractare sententia: non quia quid deberet fieri nesciremus, aut faceremus aliquid, quòd contra Ecclesiam utilitatem displiceret &c.* Ergò cum Pontifices præsertim in quæstionibus facti ad Concilia referunt; non id agitur, ut Concilium judicet, rescindatque Romæ judicata; id enim potestatis majoris esset, quam Zosimus Concilio negat, sed ut solùm melius Pontificem

(a) Zosim. epist. ad Episc. African. Anno 418. apud Baron. ad eund. Annum.

scem doceant, an factum ità se habeat, suggerantque, quid fieri oporteat; nam & Regio senatui nulla potestas rescindendi à Rege decreta, sed solum ostendendi, deprecandique. Ita Concilij Arelatensis res & causa se habuit.

XI. *Obijciunt* 6. (a) Siricius Papa, qui Damaso successerat, aperte confitetur, se Concilio subiectum esse, cujus tam ingenua, & in re propria testantis Confessio maximi utique momenti esse debet. Durabat adhuc Antiochenum Schisma, extinctis Paulino & Meletio Episcopis, quibus utriusque fautores duos successerant, Flavianum videlicet Meletio, & Evagrium Paulino. Huic tam pernicioso dissidio componendo Concilium Capuanum indictum fuerat, Flaviano, Evagrioque citatis. Absuit Flavianus, rogavitque Theodosium Imperatorem, ut hæc causa alteri in Oriente Synodo committeretur; at Episcopi, qui Capuam convenerant, Theophilo Episcopo Alexandrino, aliisque Ægypti Episcopis hanc ipsam Flaviani Evagriique causam delegant; Bonosi verò (blasphemiae in Deiparam Virginem accusati) Anyfio Episcopo Thessalonicensi, subiectisque illi Episcopis: hi ad Siricium Pontificem deferunt. Siricius abnuat, negavitque facultatem sibi esse eam causam cognoscendi, quam Patres Capuani, Theophilo aliisque detulerant. Verba Siricij sunt in epistola ad Anyfium Thessalonicensem: *Cum hujusmodi fuerit Concilij Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus Judices admitterentur, advertimus, quod nobis judicandi forma competere non possit &c.* Et infra: *Primum est, ut ij judicent, quibus judicandi facultas est data, vos enim totius Synodi vice decernitis, nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.* En Siricium Concilio submissum! si enim major Siricij potestas, quam Concilij esset, cur non posset Concilij decretum factamque delegationem rescindere, & causam alijs Judicibus creditam, ad suum, hoc est, altius, præstantiusque Tribunal avocare?

Resp. Hoc Maimburgi argumentum more solito multis partibus laborat. Nam *Primo* Concilium Capuanum non Oecumenicum fuit, sed particulare; sequeretur ergò etiam Concilio particulari Pontificem subijci, quod tamen etiam ipse Maimburgus non admittit, sic enim in hoc ipso tractatu, quem refutamus, loqui-

(a) Maimb. Traitté de l'Egl. de Rom. ch. 19. f. 164.

loquitur: (a) *De plus come le Pape est en cette qualité sans contredit par dessus chaque Eveque de quelque dignité qu'il soit, & par dessus toutes les Eglises, & tous les sinods particuliers; on peut appeller de tous ces Eveques, & de tous ces sinods à son Tribunal.* Si ergo, ut hîc loquitur Maimburgus, Pontificis Romani Potestas omnibus Ecclesijs, Synodisque particularibus præstat, idèoque ab omnibus particularibus Synodis ad Tribunal Romanum appellari potest; si inquam ita res se habet; quâ fiduciâ Maimburgus dicere potuit, Siricium Capuensi judicio subiectum, & hujus Decreto alligatum fuisse? *Secundò.* Sed etiam ipsi Patres Capuensis Synodi inter quos præcipuus Ambrosius, quamvis hujus causæ cognitionem Theophilo, aliisque detulissent; semper tamen quidquid illi judicassent, Pontificis Romani judicio & approbationi subjecerunt. Verba Ambrosij ad Theophilum Alexandrinum hæc sunt: *Sanè referendum arbitramur ad sanctum Fratrem nostrum Romanæ Sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant; ita enim utile erit consultum sententiæ, ita pacis & quietis securitas, si id vestro statuatur consilio, quod Communioni nostræ dissensum non asseret; ut nos quoque acceptâ nostrorum serie statutorum, cum id gestum esse cognoverimus, quod Ecclesiæ Romana hæud dubiè comprobaverit, læti fructum hujusmodi examinis adipiscamur.* Vides tantum abfuisse, ut Patres Capuenses, & inter illos Ambrosius crediderint Romanum Pontificem Concilij Delegatis subesse, aut rescindere non posse ab istis judicata, ut potiùs eam regulam Delegatis præscriberent; ne videlicet, quidquam judicarent, quod Romano Pontifici displicere, aut comprobari ab eo non posset. Agnovit ergo Concilium, esse aliud aliquod Tribunal, cui placere oporteret, & cujus censuræ Concilij acta subjacerent. *Tertiò.* Sed illud quoque mirum, voluisse Maimburgum ad confirmandam tanti momenti causam, epistolam adhibere dubiæ omnino incertæque fidei; illam Maimburgus Siricio adscribit; at illa nec inter Siricij epistolas reperitur, nec Siricij nomen, sed Ambrosij præfert, habeturque libro 10. epistolarum Ambrosij epistolâ 79. cum hac inscriptione: *Divi Ambrosij ad Theophilum & Anysum, excusantis se de Judicio ferendo inter Bonosum Episcopum, &c.* Et quamvis negent aliqui eam epistolam Ambrosij esse; non continuè sequitur esse Siricij, quæ enim hæc consequentia, ut idèò eam Siricius scripserit, quia non scripsit Ambrosius?

Quartò.

(a) Maimb. Traité. de l'Egl. de Rom. ch. 5. f. 43.

Quarto. Sed demus scripsisse Siricium, non tamen sequitur aliquid ab eo derogari Pontificiae potestati: nec enim passim & sine magna, urgentēque ratione Pontifici licet ordinem, gradūque judiciorum, & Conciliorum ac Sacerdotum judicia, sententias & privilegia turbare, & causas alijs commissas suo tribunali vindicare; imò nulli aequè ut Romano Pontifici incumbit, Conciliorum & Episcoporum jura & praerogativas custodire, quod eleganter Gregorius Magnus hisce verbis expressit: (a) *De Ecclesiasticis Privilegijs, quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione tenent; quia sicut nostra defendimus, ita singulis quoque Ecclesijs sua jura servamus, nec cuiuslibet favore gratiò ultra quam meretur impertiar, nec ulli hoc, quod sui juris est, ambitu simulante derogabo: sed fratres meos per omnia honorare cupio, &c.* Extatque ejusdem Divi Gregorij exemplum memorià dignum: cum enim Trajanus quidam Melitam Insulam, ubi Episcopus designatus erat, proficisceretur, quatuor ex Monasterio Syracusano Monachos petijt, viae & curarum solatio futuros; concessit Gregorius, eà tamen lege, ut Episcopi Syracusani, cui Monasterium illud subjectum erat, licentia & facultas accederet. *Petijt, inquit Gregorius, à nobis Trajanus, ut de Monasterio, quod in civitate Syracusana situm est, ei quatuor, vel quinque dari Monachi debuissent; quia ad Locum proficiscens incognitum, si proprios, quorum consolatione utatur, non habeat mens affecta tristitià, minus se ad ea, qua sunt utilitatis erigit, & antè incipit succumbere, quàm laboret. In qua re, ne Reverendissimi fratris & Coepiscopi nostri Joannis privilegiorum videremur praerogativam minuere, ita hoc illi noveris esse concessum, ut tamen fratris nostri Joannis sit arbitrio per omnia servatum.* Siricius ergo cum noluit causae Bonosi Episcopi se immiscere, non id fuit, quòd crederet sententiam & Decretum Concilij non subjacere Tribunali Romano, imò & Patres Concilij, & ipse Maimburgus, ut vidimus, subjacere professi sunt; sed quòd non appareret publica urgentēque ratio eam causam avocandi; nihil ergo Pontificiae potestati, quam defendimus, obstat exemplum Siricij: & cum Maimburgus dixit: *Exemplo Siricij nihil clarius, sinceriusque contra Pontificiam auctoritatem afferri posse; constat unum esse ex solitis Maimburgi strategematis, ingentibus promissis Lectorem fallentis, & cui meritò applicare possis illud Divi Augu-*

H
stini

(a) S. Gregor. M. epist. ad Domin. Carthag. Episc. l. 2. ep. 39. V. causam 87. q. 2.

fini Symbolum de utre inflato: (a) *Utres, inquit, duos si videas, unum plenum, alterum inflatum; in utroque eadem est magnitudo, sed non in utroque eadem plenitudo: si attendas, falleris, si appendas invenies.* Sic ergo se habent Maimburgi argumenta, ut videlicet magna appareant videnti, sed inania ponderanti.

Obijctur 7. Innocentius Primus, cum à Johanne Chryostomo (qui æmulatorum factionibus, Theophili præsertim, damnatus pulsusque fuerat) appellaretur? Chryostomum ad Oecumenicum Concilium remisit, iussitque ab hoc solo remedium expectare, sibi enim nec vires, nec aliud consilium suppetere; verba Innocentij sunt: (b) *Quodnam remedium hisce malis asseremus? Necessaria erit Synodalis cognitio; ea sola est, que hujusmodi procellarum impetus retardare potest.* Et infra: *Ac nos quidem multum deliberamus, quomodo Synodus Oecumenica congregari possit, per quam turbulenti isti motus consopiri possint. Expectemus auxilio DEI cuncta nobis esse restituenda.* Agnoscit ergò Innocentius (c) plus auxilij & auctoritatis in Concilio, quam Pontifice Romano esse; alioquin cur Chryostomum ad Concilium remittit? cur remedia in tam longum tempus, & tam lentum Senatum differt? cur nullum aliud remedium præter Concilium superesse profitetur? imò multò promptius supererat, multoque validius, sententia videlicet Pontificis Romani, si major hujus, quam Concilij auctoritas fuit. Hoc Innocentij exemplum adeò Maimburgo placuit, ut postquam illud recitasset, suasque ex illo consequentias deduxisset, in hæc verba prorumperet. *Potuissemus, inquit, clarioribus verbis exprimere Innocentius auctoritatem Concilij ad multò plura extendi, majoremque quam Pontificis Romani esse, sicq; Pontificem Concilio subesse?*

Resp. Adeò hoc argumentum nihil probat, ut potius in antiquum lapidem Maimburgus impingat, semperque magis ac magis ostendat, se ne statum quidem ejus quæstionis intelligere, quam tanto labore agitandam suscepit, perinde ac si jaculum mitteret scopi metæque ignarus. Nec enim à nobis quaeritur, an Concilium à Pontifice coactum, directum, approbatumque sit supra Pontificem? id enim parum ad praxim usumque pertinet: sed

(a) Augustinus serm. 112. de Temp. (b) Innoc. epist. ad Cler. Constantinopolitani. Anno 404. (c) Maimburgus cit. fol. 163.

sed tota quæstio in eo vertitur, an Concilium Papæ oppositum, & ab isto non approbarum, quale Basileense fuit, præponi Pontifici debeat, ad eò ut Concilio magis, quam Pontifici deferri oporteat contraria decernenti, & Concilium improbanti. Patet ergò nihil probare Innocentij exemplum; cum enim dicit, afflictis Chrysofostomi rebus *solum Concilium posse subvenire*, de Concilio loquitur non acephalo, non improbato, non Pontifici adverso, sed cum isto consentiente, nulla ergò consequentia ab uno ad alium, & tam disparatum casum. Et meritò tunc temporis credidit Innocentius adjuvando Chrysofostomo non sufficere solius Pontificis manum, sed expectandum Concilium; quippe si solus Pontifex Theophili sententiam & iudicium rescinderet, cui tot alij Orientis Episcopi subscripserant; timendum omnino erat, ne Schisma constaretur; Græcis ingenitâ levitate fastuque ad omnia promptis, & præsertim Augustis Chrysofostomo adversantibus, quæ postea Photiano Schismati causæ fuerunt. Prudenter ergò Innocentius vitando civili bello Concilium indici voluit, quo Chrysofostomi causa majori non tantum auctoritate, sed etiam numero fulciretur, nec ulla Græcis tergiversandi causa superesset, si pleno totius Ecclesiæ senatu vincerentur. Innocentius ergò ut necessitati consulere, potestatem seposuit. Idem responderi debet ad exemplum Innocentij III. qui urgenti Philippo Augusto divortium Ingelburgæ Reginae, respondit: *Non posse a se aliquid ex suo sensu pro Rege definiri, nec debere absque deliberatione Concilij aliquid determinari.* Loquitur enim Innocentius de Concilio, cui Pontifex præest, approbatque; non verò de Concilio Papæ adverso, de quo solum est quæstio: & meritò Pontifex in re tanti momenti, & publico omnium scandalo juncta, tamque ambigua, variisque & contrarijs opinionibus agitata (constat enim in Concilio Sueslionensi quindecim totos dies in utramque partem disputatum esse) & eo tempore, quo Innocentius Philippi Regis operâ armisque præcipuè utebatur; prudenter rem ad Concilium retulisse, sive ut longis dilationibus amantem Regem fatigaret, sive ut odium repulsæ in alios conferret. Verba Innocentij hæc sunt: *si super hoc absque generali deliberatione Concilij determinare aliquid tentaremus, præter Divinam offensam, & mundanam infamiam, forsan Ordinis & officij nostri peri-*

periculum immineret, cum contra veritatis sententiam (quod DELLS conjuncti, homo non separet) nostra non possit auctoritas dispensare. Vides Innocentium non de sententia Concilij, sed deliberatione loqui, quæ nullam infert superioritatem: deliberationem verò prætexit ob allatas causas; alioquin palàm erat, non magis posse Concilium dispensare in præcepto Divino de non dissolvendo Matrimonium ratum & consummatum, quàm Papam; qui si contra tam clarè in Evangelio expressam veritatem dispenseret; meritò hæresis suspectus esset, sicque ordinis & Officij sui periculum adiret.

Obijciunt 2. (a) In Concilio Romano sub Symmacho Pontifice Decreto Patrum sub gravi pœna vetitum est, ne bona Ecclesie Romanæ quovis necessitatis obtentu in perpetuum alienentur. Cùm verò sex & triginta post annos Agapetus (b) Pontifex rogaretur, ut hujusmodi prædium alienari permetteret sublevandæ pauperum necessitati; respondit, non posse se ullâ ratione in hanc alienationem consentire: *Divini enim; inquit, consideratione iudicij, necesse nobis est, quidquid sancta Synodalis decrevit auctoritas, inviolabiliter custodire.* Si ergo Concilium aliqua prohibere Pontificibus potest, & si facultas non est Pontificibus rescindendi à Concilij statuta, constat ergo majorem Concilij auctoritatem, quàm Pontificibus esse, & istos subdi illorum Decretis.

Resp. Errat iterum Maimburgus, receditque à statu quæstionis; alia enim quæstio est, an quando Pontifex & Concilium contraria sibi sentiunt, major sit Pontificis, quàm Concilij auctoritas? Alia: an Pontifex Decretis Concilij à Papa comprobatis teneatur? fieri enim potest, ut Pontifex aut alius Princeps, ejus legibus teneatur, cui subiectus non est: quis enim nescit, nec sibi Pontificem, nec Antecessoribus subiectum esse, cum quibus pari fungitur potestate? & tamen communis cum Sacrorum, tum profanorum Doctorum sententia est, Principem quemlibet, præsertim verò Summum Pontificem tam suis, quàm Antecessorum legibus quoad vim directivam obstringi: idque à Sanctis Patribus, (c) sacrisque

(a) Maimb. cit. ch. 19. f. 167. Concil. Rom. sub Symm. PP. de non alien. reb. Eccles. c. 4. Anno D. (b) Agapetus epist. ad Cæsar. Arclat. (c) V. Gelas. epist. ad Episc. Dard. in c. coasidimus 25. q. 1. Ivon. ep. ad Hug. Arch. Lugdun. c. contra statuta 25. q. 1. Greg. PP. l. 5. ep. 12. in c. justitie 25. q. 1. Leo PP. Pelagius, Iudorus in causa. 25. q. 2. & c. justum d. 9. & S. Th. 1. 2. q. 96. ar. 5.

erisque Canonibus sæpè repetiturum est, docetque S. Thomas Theologorum Princeps; non ergo sequitur Pontificem Concilio subditi, quia Concilij à se approbati Decretis tenetur, nam & suis legibus & Antecessorum tenetur; nec ideò tamen aut sibi, aut Antecessoribus suis subiectus est, minorique potestate. Sciendum ergo est, postquam semel Decretum aliquod statutum in Concilio fuit, resultare hoc ipso obligationem naturalem, quæ Legislatorem etiam obstringat ad legum suarum observantiam, quantum videlicet ejus status & conditio patitur; cum enim proximus legum finis sit earundem observatio, ac promotio boni publici, nihil verò magis legis observantiam, & communem utilitatem ex legum observantia redundantem impediatur, quàm si Legislator ipse in legem offendat, eamque suo exemplo contemptui ac ludibrio exponat, (imitantur enim subditi vitia Principum, quibus auctoritas delinquentis venerationem & speciem, imò impunitatem conciliat; quàm enim fiduciâ sua scelera in alijs puniant?) inde fit, ut ex natura legis, & Justitiæ, officiique, quo Principes funguntur, ac subditos ad legum observantiam urgere tenentur, ac transgressores poenis afficere, ut ipsi quoque Principes suis & Antecessorum legibus obstringantur: non quòd Principes aut sibi, aut Antecessoribus subdantur, sed quia legum natura, ac ratio officij id à Principe postulant; hanc obligationem agnovit etiam Christus, quando Phariseis exprobravit: (a) *Quòd gravia hominibus onera imponerent, quæ ipsi nollent digito tangere.* Agnoverunt etiam Prophani, ac Gentiles scriptores, apud quos toties hæc axiomata reperies, videlicet: *Quòd quisque juris in alium statuit, ipse eodem jure uti debet.* Et: *Patere legem, quam ipse tuleris, &c.* Et S. Ambrosius (b) epistolâ ad Valentinianum Imperatorem: *Quòd cum præscripsisti alijs, præscripsisti etiam tibi; Leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat.* Aliud ergo Maimburgus probavit, quàm probare oportuit; probavit enim Pontifices Decretis Conciliorum à se probatorum obligari; at hoc probandum non erat, quippe à nobis concessum. Illud ergo probandum erat: *Pontificem Decretis Conciliorum tenere, quæ ipse improbat.* Hoc tacuit Maimburgus; falsi enim convinci poterat, patuitque in Constantino-politano, & Chalcedonenfi, quorum Decreta, quamvis Oecume-

H 3 nica

(a) Matth. 23. (b) Ambros. l. 5. epist. 32. ad Valentin. Imperat.

nica essent, non sunt tamen omnia à Pontificibus accepta, imò reje-
cta, tantum abest, ut se illis subjectos crederent. Imò si à Decretis
Conciliorum etiam Generalium argumentari licet, fortissimum pro
Pontifice habemus argumentum; certum enim est, Dispensationem
esse actum superioris: at verò quis nescit in Decretis Conciliorum
sæpissimè dispensasse Pontifices? quod alibi (a) demonstratum est.

XII. *Obijcitur 9.* (b) Silvester II. Romanus Pontifex, & erudi-
tione celeberrimus, in epistola, quam ad Seguinum Senonensem
Archiepiscopum scripsit, hæc habet inter alia: (c) *Constanter dico,*
quòd si ipse Romanus Episcopus in fratrem peccaverit, sæpiusque admonitus Ecclē-
siam non audierit; hic inquam Romanus Episcopus præcepto DEI est habendus
sicut Ethnicus & Publicanus. His Silvestri verbis, hæc Maimburgus ex
suo addit commentarij loco: *Potuisse tunc, inquit, clarioribus verbis hic*
Papa profiteri; Pontifices Romanos, quantumvis Ecclesia capita, non idè tamen
Legibus Conciliorum, quæ Universalem Ecclesiam representant, exemptos esse?

Resp. Gerberti testimonium, qui postea Silvester II. dictus est,
pudori potius Maimburgo esse debuit, quàm argumento: ego, ut
veritatem intelligas, rem totam à principiis suis evolvam. Anno
DCCCCLXXXVII. Ludovico V. Francorum Rege extincto, in thro-
num evectus est Hugo Capetus, Parisiensium Comes; is è Regio
quidem Francorum sanguine ortum duxerat, quod alibi ostendi-
mus, sed dubium non erat, deberi Regnum Carolo Lotharingæ
Duci, quippe Ludovici Patruo, proximòque sanguinis Regij; sed
quòd Imperatori, Germanisq; nimium adhæreret, Gallos offen-
derat, averteratque. Natum Civile bellum, Hugone Carolò-
que pro Corona certantibus, & initia quidem Carolo fausta, Lau-
duno tunc Regiâ Civitate Rhemisq; captis, idque ut ferebatur
operâ & proditione Principis Arnulphi, postea Rhemensis Archi-
Episcopi: quas Infulas cum acciperet, juramento se Hugoni Regi
devinxerat, sed Patruj amor juramento & fidei præpotuit, Rhe-
mòsque hosti aperuit. Hugo collectis iterum copijs Lauduni lan-
guentem Carolum obsidet, capitque, & Aurelianis custodiæ man-
dat: secuta Rhemorum deditio, & Arnulphus proditionis ac
Majestatis reus Concilio Rhemensi sistitur, cui inter alios Segui-
nus

(a) Vide Regal. Sacerdot. fol. 58r. (b) Maimb. cit. ch. 29. fol. 169. (c) Epist.
2. Gerberti ad Seguinum Ep. Senon.

nus aderat Archi-Episcopus Senonensis & Apostolicæ Sedis Legatus. In hac Synodo certamen primò fuit de Patrum potestate, an vid: exautorare illis Episcopum liceret sine Romani Pontificis assensu? negabant qui Arnulphum tuebantur, inter quos Abbo Floriacensis Abbas præcipuâ doctrinâ ac sanctitate, & postea Martyr: *Quippe ex sacrorum Canonum sententia majores causas & Episcoporum depositiones Romano Pontifici reservari. Sed vicit opinio adversantium Arnulpho: Missos Romam Legatos octodecim mensium spatio, ad limen palatii præsolatos esse; non admissos, non auditos rediisse; ergo tam longum silentium pro assensu esse, impletumque quicquid Pontifici deberetur tam prolixo obsequio. Stabilitâ Concilij auctoritate damnatus Arnulphus, cum prius delictum confessus esset, sacrisque infulis exutus, & Gerbertus deposito suffectus. Seguinus recusavit sententiæ subscribere; reliqui Episcopi quamvis inviti, metu tamen & reverentiâ Regis Arnulpho infensi vinci se passi sunt: (a) Venerabilis autem Seguinus Archiepiscopus non consensit in degradationem Arnulphi, neque in ordinationem Gerberti; jussio autem Regis urgebat: alij verò Episcopi licet inviti, tamen propter timorem Regis degradaverunt Arnulphum, & ordinarunt Gerbertum. Maimburgus, (b) decipi hunc auctorem dicit, & aperte falsa narrare, nullamque speciem veritatis habentia; se verò hanc Gerberti historiam ex monumentis fide dignissimis, quæque in dubium vocari haud possint, recensere. Si verò ab eo quæras; quæ nam ea sint monumenta fide dignissima? nulla alia profert, quam epistolas Gerberti, & acta Synodi Rhemensis ab eodem Gerberto conscripta; quæ Sectarij nostrorum temporum, perinde ac si Thesaurum reperissent, duplici editione (c) in lucem protulere. Gerbertum verò constat amarissimo in Pontificem animo fuisse, quippe hujus auctoritate sede Rhemensis ejeetum, & ipse fatetur Maimburgus (d) Gerberti scripta, præsertim epistolas ad Seguinum datas plus fellis, quam rationis habere. Ipse Gerbertus, ut habetur in appendice Aimoini, (e) intelligens, quod injustè Pontificalem suscepisset dignitatem, penitentia ductus est; quando videlicet misso Leone Apostolicæ Sedis Legato, novaque Synodo Rhemis coactâ, Arnulphus sedi restitutus*

(a) Aimoin. l. 5. (b) Maimb. de la decad. l. 1. fol. 95. (c) Magdeburg. Centur. 10. cap. 9. & scorium Francofur. Anno 1600. (d) Maimb. de la decad. l. 1. f. 94. (e) Aimoin. l. 5. c. 45.

tus est Gerberto pulso; qui Gallis offensus, à quibus desertum se viderat, in Germaniam ad Ottonem III. confugit, & hujus patrocínio Pontificatum adeptus est; damnavitque, quæ tantâ olim contentione contra Arnulphum, Romanumque Pontificem declamaverat, sic enim scribit in epistola ad Arnulphum, quam Balluzius recitat: (a) *Quapropter tibi Arnulpho quibusdam excessibus pontificali honore privato subvenire dignum duximus, ut quia tua abdicatio Romano assensu caruit, Romane pietatis munere credaris posse reparari.* Vides hic fatentem Gerbertum, non debuisse sine Romano consensu Archi-Episcopatu exui Arnulphum; & ipse de Marca ac Glossa Pragmaticæ Sanctionis Depositiones Episcoporum soli Pontifici reservatas esse agnoscunt: (b) *Idque in Gallia, reliquisque Orbis Christiani Provincijs receptum esse, & in mores versum.* Ex quibus jam videas, quàm falsò dixerit Maimburgus: *Gerberti scripta esse omni fide dignissima, & quibus cedere debeant, quæ Continuator Aimoini posteritati reliquit.* Ergò ex calculo Maimburgi, quæ ab irato, ab offenso, ab hoste scripta sunt, quæque revocata, correctæ, & in publica Synodo deleta, ac ab hæreticis evulgata in odium sedis Romanæ, *momenta sunt fide dignissima, omnique dubio majora.* Quæ ergo erant indigna fide? Planè vel hoc uno exemplo patet, quantum excæcandis hominum mentibus, delendisque communis vitæ, ac rationis humanæ principijs animi passiones valeant. Quòd verò ad Aimoini Continuatore pertinet, & quem Maimburgus suspectæ fidei reddit; Lectoris omniumque prudentum judicio relinquimus, illi magis fidem habere velint res ferè suorum temporum, sed tamen aliena non sua, & quorum nullâ curâ aut lucro, damnòque tangebatur, narranti; an Gerberto tot titulis offenso, iratòque, & quem ipse Maimburgus (c) *fateretur plus ira, quàm rationi & veritati indulisse.* Jam ergo ex hac Gerberti historia facile intelligas, quàm nihil ad rem faciat Maimburgi argumentum, quàmque multis partibus errer; illa enim Gerberti verba, quibus dicit: *Pontificem admonitum, nec Ecclesiam audientem tanquam Ethnicum & Publicanum habendum esse.* perinde recenset, ac si à Gerberto jam Pontifice dicta essent (ut videlicet tantò sit fortius argumentum ex confessione ipsius Pontificis

(a) Balluz. ad lib. 7. de Marca c. 25. (b) De Marca l. 7. c. 25. n. 9. Guim. in Gl. Pragm. tit. de Concub. (c) Maimb. de la Decad. l. 1. fol. 95.

petitum) sic enim scribit: (a) *Sur quoy ce Pape ecrivait à Seguin, non à point fait de difficulté de s'exprimer en ces termes extrêmement forts, &c. Et infra: Ce Pape peut il faire entendre plus clairement, que les Papes sont soumis au Concile General?* Quibus verbis aperte Lectorem fallit; nec enim Pontificis hoc est testimonium, nec ea Gerbertus scripsit, cum jam Pontifex esset, sed adhuc Monachus, & iratus, offensusque Pontifici, qui unus obstabat, ne infulis Rhemenfibus potiretur; imò Pontifex factus se ipsum correxit, revocavitque tam imprudenter olim effusa, ut ex epistola ad Arnulphum ostendi: hæc omnia Maimburgus aut mutavit, aut tacuit, ut ita argumento planè inani inutilique speciem aliquam veritatis afferret artificio planè indigno, & quod non dicam in historico & Sacerdote, sed ne in plebejo quidem feras.

Postquam Maimburgus capite 19. ex Pontificum testimonijs, quæ modò refutavimus, conatus fuisset ostendere Pontifices subjacere Concilio; caput 20. subjungit, in quo testimonia Pontificum recenset, qui sacris Canonibus, sacrorumque Conciliorum Decretis teneri se profitentur; ex quo concludit, infra Concilium Pontifices esse: sed hoc jam supra ad objectionem octavam refutavimus, & ita repetere nolumus jam semel dicta. Illud discussione indiget, quod circa finem ejus capituli de Appellatione ab abusu commemorat, quòdque in sequenti Paragrapho explicandum suscipimus.



I

§. II.

(a) Maimb. Traittè de l'Egl. ch. 19. fol. 169.

§. II.

De Appellationibus tanquam ab abusu.

SUMMARI A.

1. *Quinque Parisienses propositiones eò pertinere, ut omnes cause spirituales Parlamento prophanisque Tribunalibus subdantur, idque testimonio Maimburgi palàm fieri, Appellationes ab abusu Concilio Oecumenico substituuntis.*
2. *Appellationes ab abusu recentes esse, & præteritis retrò annis ignotas, idque testimonijs Constantini & Theodorici ostenditur.*
3. *Earum Appellationum injustitia tum ex ipso Appellationis nomine, tum ex gradibus, quibus provec̃ta sunt, probatur.*
4. *Et ex querelis Cleri Gallicanicas Appellationes improbantis.*
5. *Et ex varijs rationibus.*
6. *Respondetur ad Regiorum argumenta.*

I.

Maimburgus finem capituli vigesimi his verbis concludit: (a) *Cùm Romani Pontifices limites à sacris Canonibus præscriptos transgressi suã potestate abuterentur; ad futura Concilia appellari captum est. Id in causa Bonifacij VIII. factum, in omnium Regum coronas dominatum usurpantis. Iterumque ab Universitate Parisiensi, ubi contra Canonum præscripta, & Ecclesiæ Gallicanæ privilegia, Decretis se onerari, alijsque exactionibus sensit. Sed præsertim & frequentius id agitatum in Germania. Verum cum illæ ad futurum Concilium appellationes, aut*

(a) Maimb. Traittè de l'Eglise. ch. 20. fol. 182.

nimis lentum remedium afferrent grassantibus malis, aut Pontificia auctoritati, sententisque eludendis adhiberentur, unius serè sæculi morâ, quæ convocandis Concilijs necessaria est, & idèd à Pio II. Julioque II. hujusmodi provocaciones jure merito damnata sunt. Aliud remedium in Gallijs successit, Appellationes videlicet tanquam ab abusu, à Summis Pontificibus ad Parlamentum facta, id quippe Majestatem, Justitiamque Regis representat; & ad hunc velut ad Canonum protectorem spectat, providere, ne quid attentetur illis contrarium; imò & Bullas, sententias, legesque Ecclesiasticas ad examen, judiciumque suum revocare, arbitrarique, an aliquid Canonibus, ac Gallicæ libertatibus adversum complectantur. Hactenus Maimburgus, ubi planè faciem nudavit, seque ipsum agnoscendum proposuit, & quò tenderent propositiones Parisienses ostendit, toties & tam quæsitis coloribus pietatem professæ: ut nimirum tota de rebus causisque Ecclesiasticis potestas, ad Reges & Parlamenta, forumque sæculare transferatur: & hanc vocant Gallicanæ Ecclesiæ libertatem, Regi & senatoribus Regijs servire. Errant, inquit, falluntur Pontifices, ergo Concilijs subdantur; sed quia longum est, molestumque Concilia expectare; subdantur Regi & Parliamentis, profanisque tribunalibus; & ne velum desit tam pudendo facinori, abusus Pontificiæ potestatis vocetur, quidquid non placet. Possit error, possit fraus, possit ignorantia in Pontifices cadere; non possit in Regem & Parlamenta: & ea infallibilitas, quæ Pontifici debebatur, Regibus & Parliamentis donetur: isti sedeant, judicentque, Reo interim Pontifice, & ad pedes prophani Tribunalis sententiam præstolante, & hoc ipsum appelletur *libertas Gallicana*. Potestne à Maimburgo dici, imò cogitari aliquid indignius Christianâ pietate? sed rem ipsam aggrediamur.

II. *Primo*. Constat hujusmodi appellationes tanquam ab abusu novas esse recentisque, & ultimis sæculis natas, quando videlicet & disciplinæ Ecclesiasticæ fastidium, & libido opinandi nova, gliscensque adulatio, ac etiam aliquorum Pontificum prædura imperia medicinas quærere coegerunt morbis peiores. Feuretus putat anno 1404 primùm emeruisse. Auctor (a) liberratum Ecclesiæ Gallicanæ ad Annum 1489. refert. Acta Cleri Gallicani non

I 2

ante

(a) Carolus Feuretus l. i. c. 2. Auctor libert. Gallic. Tom. I. pag. 96. Acta Cleri Gallic. Tom. I. Tit. 2. c. 19. Stephan. Pasquier. l. 3. c. 38. V. Tract. de libert. Eccles. Gallic. lib. 12.

ante annum 1533. cœpisse. Eadem ferè sententia Petri de Marca, aliorumque Gallia scriptorum, ex quibus jam facile intelligas hujusmodi provocaciones vel ex hoc capite improbandas esse, quòd novæ sint; semper enim novitas in ijs, quæ ad fidem, ac disciplinam Ecclesiasticam pertinent, suspecta fuit, præsertim cum Canonibus, praxique Ecclesiæ adversabatur. Audi S. Vincentium Lerinensem (a) in præclaro suo Commonitorio: *Mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque Religiosus foret, eo promptius novellis adinventio- nibus contraheret.* Et alibi: *Christianus ergo Catholicus providebit, ut antiquitati inhereat, quæ prorsus iam non potest ab ulla novitatis fraude seduci.* Et planè si totam percurras antiquitatem, nunquam reperies appella- tiones ab Ecclesiastico ad prophanum tribunal sine horrore & exe- cratione auditas esse, cujus in Donatistis egregium exemplum; cum enim isti à sententia Melchiadis, Romanæque Synodi, aut ut alij volunt, à Synodo Arelateni ad Constantinum provocâ- sent; is teste Optato Milevitano, rei indignitate commotus in hæc verba prorupit: (b) *O rabida furoris audacia! sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Quibus verbis non id tantum objurgat Constantinus, quòd Donatistæ ex levibus causis appel- lârissent (hujusmodi enim appellationes, ne quidem à Gentilibus admittebantur) sed quòd ab Ecclesiastico tribunali, & in causa Ecclesiastica ad Imperatorem provocârissent. Quid jam diceret Constantinus, si has ipsas provocaciones, & suscipi in Gallia, & defendi ut legitimas videret? Memoratu quoque digna est illa Theodorici, quamvis Ariani, sententia, qui cum à Patribus, quid in causa Symmachi Pontificis agi vellet, consultus esset? Respon- dit modestiâ Rege dignâ: (c) *In synodali esse arbitrio in tanto negotio sequenda prescribere, nec aliquid ad se præter reverentiam de Ecclesiasticis negotijs pertinere.*

III. *Secundo.* Sed & ipsum nomen appellationis injustitiam istarum provocacionum ostendit: Appellatio enim est à minori ju- dice ad majorem facta provocatio: atqui potestas sæcularis etiam Regi multò est minor omni potestate Ecclesiasticâ; quâ ergo ratione à majori potestate ad minorem appellatur? Demus injustas esse Episcoporum & Pontificum sententias; num idèd, quia injustæ sunt,

(a) Vincent. Lerin. lib. 1. Commonit. c. 3. & 9. (b) Optatus lib. 1. contra Parm. (c) V. acta Synod. Palmar. Anno 502. & ibi Baron. ad eund. Annum n. 14.

sunt, debent majori injuriâ propulsari? quæ verò major injuria, quàm privatam injuriam publico Ecclesiæ dedecore ac damno vindicare, eamque non alieno tantùm tribunali, sed etiam minori subijcere? si ergo Reges suâ potestate abuti contingat; an idèò privatis Civibus à Regia sententia obtentu abusûs ad Parlamentum appellare licebit? & si quis id audeat, non in illum tantquam læsæ Majestatis reum vindicabunt? si ergo nullo abusûs prætextu appellari à Rege ad Parlamentum non licet, quantò minùs licebit à Pontifice ad Regem, aut Parlamentum?

Tertiò. Nihil verò istarum Appellationum indignitatem æquè prodit, ut illi gradus, quibus ad summum licentiæ & in verecundiæ pervenerunt. Primò enim exortu modestè, timidèque ac intra necessitatem procedebant, quæ causa fuit, ut Ecclesiæ irreperent conniventibus, nec invitis Episcopis, aut inobservatæ videlicet, aut contemptæ, & præsertim quòd soli Pontifici objectarentur, cujus potestatem arctari, non ingratum Episcopis amore libertatis. Initio igitur eò solùm pertinebant hujusmodi appellationes, ut executio suspenderetur, nec ultra temporalia aut beneficia proferebantur. Deinde coacti Episcopi, ut Decreta, quæ accusabantur, revocarent. Postèa ab ipsomet senatu irrita & nulla declarata; tandem in omni causa spiritali, Matrimoniali, ac Sacramentali appellari cæptum est; ut enim nulla causa, in qua aut committi abusûs, aut fingi, & prætexi non possit, ita etiam nulla hujusmodi appellationibus non obnoxia, sic enim loquitur Jacobus Duhamel in sua Politica Regia, quam exhibet Compiler Libertatum Gallicarum Tomo 1. fol. 590. *si contra has regulas, inquit, edicta, Constitutiones, & placita Curiarum supremarum, si contra libertates & immunitates Regni, si contra Jurisdictiones Regias, aliquid à Judicibus Ecclesiasticis fieri, vel attentari contigerit; remedium est Appellatio, quasi ab abusu: idque intelligo non solum de causis Criminalibus Regijs & privilegiatis, sed etiam de rebus Civilibus secularibus, & profanis; imò etiam spiritalibus & sacramentalibus: est enim Appellatio quasi ab abusu, via ad tribuendum Curijs Parliamentorum rerum spiritalium cognitionem, quæ aliàs ipsis non competeret.* Nulla ergo est causa tam sancta, quæ jurisdictionem Parlamenti, istarumque Appellationum laqueos effugere possit. Rursus appellari etiam solet, quando abusus non est notorius, unde facilè fuerit abusum

ingere, & causari, quando & ubi nullus abusus est, sicque omnes sententias Ecclesiasticas ludificari abusu prætextu. Accedit quòd hujusmodi Appellatio nullo tempore finiat, ac etiam post centum annos proponi possit, etiam post tertiam conformemque sententiam, etiam non servato Tribunalium ordine; & Judex Ecclesiasticus interpositâ eâ Appellatione ad Magistratus sæculares, superfedere interim executione debet: ut tandem, qui hujusmodi Appellationibus repugnaverit, litemque indixerit, reus habeatur contemptæ Majestatis, quæ omnia constant ex Feureto l. 1. quem de hoc argumento conscripsit. Vides ergo Appellationum tanquam ab abusu, conservandorumque canonum prætextu omnium maximum abusum induci, & canonicam disciplinam maximè ac in suis fundamentis everti; quis enim abusus major, quàm qui sacram, prophanamque potestatem confundit; imò sacræ potestati omnem nervum incidit, eamque penitus inutilem reddit appellationum objectu? aut quid sacris Canonibus magis adversum, quàm quod Immunitatem Ecclesiasticam tot Martyrum pugnis sancitam penitus evertit?

IV. *Quarto*. Et idè Clerus Gallicanus de hisce Appellationibus tanquam ab abusu, frequenter & gravissimè conquectus est, quippe cum totam Ecclesiæ libertatem aboleri jis videret. Extant inter acta Cleri Gallicani Tom. 5. Orationes, & alia innumera ferè documenta, ex quibus apparet Antistites Galliæ omnibus viribus conmissos esse, ut hujusmodi Appellationes sacræ libertati fatales submoverentur; sed cum sustinere torrentem non possent, illud saltem conatos, ut earum abusus quibusdam limitibus ac terminis cohiberent, sed vix aliquo operæ pretio, aulâ & adulatione prævalente. Videri etiam potest Tom: 1. eorundem Cleri Gallicani Actorum, ubi in Tractatu de libertate Ecclesiastica cap. 9. hæc leguntur, quæ Cleri Gallicani sensa plus satis explicant. *Omnium malorum vulnerumque, quibus Ecclesiastica potestas & disciplina aliquando afflicta est; illud maximum, quod ab Appellationibus tanquam ab abusu recepit. Artificium à Regijs Officialibus excogitatum, ut omnes causas Ecclesiasticas, quarum nulla eis cognitio aut judicium competit, suis Tribunalibus addicerent. Cum enim nihil in mundo sit, cui non abusus aliquis obiectari possit, ita nulla jam erit Persona Ecclesiastica cujuscunquo ea gradus aut digni-*

dignitatis sit, qua colore, obtentique exerciti abusus non ad pedes sibi possit prophani tribunalis, prostrata interim captivaque ea libertate, qua & Gallis ornamento, & toti terrarum Orbi olim exemplo fuit. Id est, quod ultimo hoc seculo Ecclesia Gallicana auctoritatem juxta & venerationem subtrahit, ac sacram morum disciplinam plane subvertit; atque utinam post hanc Ecclesie desolationem, quam oculis usurpamus; non etiam Imperij ruina subsequatur. Quid possit contra hujusmodi Appellationes gravius dici à Clero Gallicano? Nec minùs patheticè nomine ejusdem Cleri Episcopus Ambianensis: (a) Sed Appellationes, inquit, ab abusu multò plus confusionis damnique Ecclesie attulere. Hæ sunt nova fabula nempe, prioribus retro seculis in Gallijs nunquam audita, & quarum veneno alie Christiani Orbis Nationes hæcenus intacta sunt. Hæc sunt de Appellationibus tanquam ab abusu Cleri Gallicani sensa, à quibus quantum Maimburgi de iisdem Appellationibus sententia abhorreat, nemo non intelligit; ut mirum videri debeat, hominem, qui singulis ferè paginis auctoritatem jactat Cleri Gallicani, eamque cælis exæquat; quories videlicet innumbrandæ Pontificum Majestati servire Maimburgo videtur: nunc verò ubi de viribus & libertate Ecclesiarum agitur, palàm à Clero Gallicano deficere, & quod rem ipsam spectat, totam de causis spiritualibus judicandi potestatem Parliamentis adscribere: aded videlicet se Aulæ devinxit, ut hanc unam respiceret, nullo æqui aut iniqui discrimine, & solâ Principem demerendi cupidine.

V. Quindò. Sed & nihil magis, ut istæ Appellationes, rectæ Rationi adversum. Quidquid enim tot Canonum & Conciliorum apparatu, ac etiam Principum edictis circa Immunitatem Ecclesiasticam, ac etiam tot Episcoporum ac Martyrum pugnis sancitum est, totum illud evertitur istarum Appellationum ludibrio. Quidquid enim aut Pontifices, aut Episcopi decernent, quod Principi non placeat, abusus potestatis vocabitur; nec deerunt venales animi, calamique, quibus Palatia semper abundarunt; qui inductis coloribus in abusum transformant, quidquid aulæ displicuit. Quid ergo tam rectum fuerit, quod vocari abusus non possit? & consequenter quæ causa tam sancta & Ecclesiastica,

(a) Episcop. Ambian. in Orat. nomine Cleri Gallican. Anno 1666. Tom. 1. Actor. Cler. Gallic.

fica, quæ prophanis judicijs non subdatur? quò ergo tot Concilia, tot Canones, tot Principum edicta, Patrùmque labores, ne sæculares de causis Ecclesiasticis judicent prohibentium? quoties enim aut sacerdoti obtemperare noluerò, aut libido vel quæstus fuerit res sacras contrectandi, abusum vocabo: frustra ergo canones, frustra reliquæ Tabernaculi fores clausæ, hâc unâ patente; quid enim interest, quâ januâ irrumpas? Ex quo aliud incommodum sequitur, & præcipui quidem momenti, videlicet, inutilem fore omnem potestatis Ecclesiasticæ monendi vim, puniendique, ac Principes sæculares dirigendi. Nemo planè Pontificis & Ecclesiasticorum directione magis, quàm Principes, indiget; in summo quippe fastigio constitutis, cùm nec potestas desit, nec cupiditas pro arbitrio imperandi; & nemo sit, qui cupiditates Principum aut metu, aut imperio moretur: imò perpetuæ sint voces, omnia in Principe comprobantium; quis rogo aut errantes, aut præcipitio imminentes moneat teneatque, aut objectis sacrarum legum & canonum repagulis, periculo arceat, si Pontifici communi omnium Patri, & Majestate ac Religione etiam Regibus verendè id non permittas? At verò quid Pontifices & Episcopi amplius possint, si ab eorum legibus, Decretisq; appellare liceat, sicque inutilia ea reddere abusum obtentu? an verò Principibus colores deerunt, omnia in abusum fingendi? aut erit aliquid tam sanctum, tam justum, quod appellari abusus non possit, si Principi non placeat? Prohibent canones, & ad istorum normam prohibent Pontifices turbare liberas electiones, proventus Ecclesiasticos invadere, Episcoporum causas prophanis Tribunalibus subdere, Beneficia in unam, eandemque Personam confertim deponere, & alia mille Canonibus adversa: obtemperare Principes renuunt, & tam justa imperia abusum vocant potestatis. Quid ergo proderit in Pontifice, alijsque Episcopis potestas imperandi, si nulla in subditis necessitas obsequendi? Deinde quàm illud absurdum, quodd velint Parlamentum, Senatores, Regem aliàsque potestates sæculares de Pontifice & Episcopis judicare, an, cùm imperant, cùm prohibent, puniuntque, suâ potestate contra Canones abutantur? quomodo enim de canonum, rerùmque Ecclesiasticarum abusu judicabunt, Canonum ipsi rerùmque Ecclesiasticarum aut rudes, aut negligentes?

gentes? & qui negant Pontifici de rebus Politicis iudicandi potestatem, sibi potestatem usurpabunt de rebus Ecclesiasticis discernendi? quod ergo eorum sententiâ Pontifici in Reges non licet, Regibus in Pontifices licebit? aut fortè de rebus ad aras Deumque spectantibus, deque sacrorum Canonum intellectu, eorumque abusu melius Reges, Regique Parisijs Ministri, quam Pontifices ipsi & Episcopi iudicabunt? id perinde fuerit, ac si iudicium de rebus militaribus nautæ, aut de rebus nauticis Cantori permittas, & sententiam ab Astrologo expectes, quando & ubi in pingenda imagine suis pictor coloribus ac penicillo abusus sit; quod si artificii in sua arte credendum est, quidni rebus Ecclesiam arasque spectantibus Pontifici potius & Episcopis credas, quam Regi, Parlamento, Aulæque Ministris? Idque tantò æquius est, quod Rex quoque aliique Principes sæculares in rebus merè temporalibus nunquam permitturi sunt, ut ab eorum sententijs, ad Episcoporum Tribunalia provocetur obtentu abusus; idque si quis attentet, velut offensæ Majestatis reus gravissimas pœnas daturus est: & tamen quis neget abuti illos posse Regiâ potestate? Si ergo quia Reges, quia Parlamenta errare possunt, suâque potestate abuti, non ideò tamen ab eorum sententijs ad Episcopos licet appellare, quanto minùs licebit à Pontifice ad Reges?

VI. Unde facilè respondeas ad ea, quæ objectari solent, quæque ad hoc unum reducuntur, videlicet, Reges Canonum Custodes esse, legumque præsertim naturalium defensores, si ergo aliquid Pontifices contra Canones (a) moliantur, aut privatis, Regijsque juribus officiant; poterunt Reges eorum conatus coercere, & Decreta compescere; quo verò titulo & colore honestiore, quàm si objiciant abusus esse potestate? & in hunc finem accumulatur canones, quibus rerum Ecclesiasticarum custodia Principibus defertur.

Resp. Multis modis refelli potest hæc objectio. Nam *Primo*, si à Pontificum, Episcoporumque Decretis Ecclesiasticis appellari potest ad Magistratum sæcularem prætextu abusus & jure naturalis defensionis; sequetur pari imò eadem ratione, à Ma-

K
gistratu

(a) Can. filijs 16. q. 7. can. boni Principis d. 96. can. Tributum 23. q. 8. can. Principes 23. q. 5. can. Maximianus 23. q. 3. & q. 5. & can. Regum. can. Imperatoribus. can. qui potest.

gistratu sæculari ad Ecclesiasticum provocari posse, & hæc provocacione suspendi Decreta & sententias sæcularium Magistratum, quippe qui potestate suâ abuti possunt, imò sæpè abutuntur; nec minus jus naturalis Defensionis Pontifici, quàm Regi tribuendum est; imò illi multò magis, quantò videlicet Ecclesiastica dignitas multò sæculari major; & innocentium cura, legumque naturalium custodia multò magis Pontifici, quàm Regibus commendata; omnes ergo causæ abusu prætextu ad forum Ecclesiasticum trahi poterunt; quòd si hoc non permittunt Principes, nec æquum arbitrantur, quæ æquitas fuerit, ut quam ipsi ferre renuunt, servitutem, Ecclesijs imponant? *Secundò.* Si Reges, alique Principes sæculares Canonum custodes sunt, oportet ergo ut Canones non destruant, sed tueantur, conserventque; neque enim custodem arborum, vinearumque appellaveris, qui eas fuerit deprædatus, omnèsque earum fructus pro arbitrio suis usibus addixerit, ita Canonum custos non qui evertit, sed qui observat. At verò quid magis & sæpius Canones inculcant, quàm Personarum & causarum Ecclesiasticarum exemptionem, & ne causæ celestes prophanis Tribunalibus sistantur? qui ergo istos Canones violat, tam sæpè tam enixè Ecclesiæ commendatos, & non atramento tantum, sed etiam sanguine & vulneribus scriptos; istos, inquam, Canonum custodes, an hostes dixeris? *Tertio.* Dubium non est, posse non Principes solùm, Regesque, sed quemlibet etiam privatæ conditionis hominem impedire, ne Pontifices manifestam alteri injuriam inferant, eumque aut vitâ, aut bonis, aut ijs, quæ utroque chariora sunt, privent; si enim Pontificum aliquis capite aut exilio puniri vellet innocentem; quis neget posse me aut carceribus apertis, aut monstratâ fuga, aut alio quovis modo periclitanti & afflictæ innocentæ remedium quærere? siquidem Pontificum potestas ad ædificandum, non destruendum data; si ergo contingat veritatem & justitiam eos destruere, non tam Pontifici, quàm Vastatori obstitas, ac ultra potestatem suam grassanti; cæterùm hæc locum habent, cum abusus, & injustitia manifesta, & notoria sunt, ac omnium oculis exposita, non verò cum Parliamentis solùm, Regiisque Ministris, & Principum Adulatoribus talia apparent, aut ijs, qui Pontificum Decretis aut sententijs cohibentur, ne cupitis fruantur;

tur; quid enim erit tam rectum, & iustum, quod istorum iudicio non iniquum, iniustumque credatur? si Rei ac damnati iudicia & querelas attendas, nulla unquam fuit iusta sententia, nec placuit perituris. At, inquires, *judicabit Parlamentum, equa an iniqua fuerit à Pontifice Appellatio*; sed hoc ipsum querimus, & negamus fieri posse; neque enim pronuntiari potest iusta Appellatio, nisi sententiam iniustam dicas: at quæ Parlamento in sententias Pontificum potestas & iurisdictio? aut qui Canones, & quæ ratio permittat, ut plus deferas Parlamento absolventi, quàm Pontifici damnantis? num verò Parlamentum permetteret, in sententijs à se datis, causisque temporalibus ad Pontificem appellari, & hunc de iustitia Appellationis cognoscere? cur ergo in causis spiritualibus sibi tribuant, usurpentque, quod in merè temporalibus, quæ multò minoris momenti sunt, Pontifici non permittunt? Quacunque ergo ex parte huiusmodi Appellationes inspicias, iniustæ sunt, & Galorum pietate prorsus indignæ.



§. III.

Respondetur ad auctoritatem Concilij Pisani.

SUMMARI A.

1. *Auctoritas Concilij Pisani à Maimburgo adducta.*
2. *Hujus Concilij auctoritatem multis ex capitibus dubiam esse & incertam, evidentibus argumentis ostenditur, & auctoritate ipsius Concilij Constantiensis, ac etiam Maimburgi testimonio.*
3. *Nec tamen aliquid in Concilio Pisano aut decusum, aut factum, quod Pontificum in Concilia auctoritati derogare possit; & questionem in Concilio agitatam toto Cælo ab ea distinctam esse, quæ modo inter nos vertitur.*
4. *Mala fides Maimburgi sententiam Parisiensis Universitatis pervertentis.*

I.

Rejicitur 10. (a) In Concilio Pisano, quod Anno MCCCCIX. congregatum & peractum est, multis cum scriptis tum exemplis ostensum est, Pontifices Concilio subdi, & ab isto judicari, puniri, damnarique posse. Nam primò cum quidam in sacro illo Senatu sustinuisent, nullam Concilij esse in Pontifices Romanos potestatem; Patres eam protestationem derisui habuere, utpote nullo Antiquitatis exemplo fultam. Deinde quidam Petrus Plauti doctrinà celebris, & unus ex Universitatis Parisiensis deputatis, quæ tunc temporis ad supremum gloriæ pervenerat, egregiè multisque rationibus ostendit, multum Ecclesiam supra Pontifices esse, & consequenter etiam Concilium, quo Ecclesia repræsentatur, addiditque hanc esse Parisiensis, omniumque Galliæ Universitatum sententiam. Ut primùm peroravit, exscenditque cathedrâ, secutus est Novariensis Episcopus, seque ex suggestu ostentans, & voce, quâ omnibus intelligi posset, protestatus est, centum & tres Doctores ac Theologiæ Licentiatos, qui ex varijs Universitatibus confluerant, jussuque Cardinalium hanc causam diligenter examinauerant, cum Parisiensi schola in eandem sententiam convenire; imò & Bononiensem ac Florentinam famâ doctrinæque celebres; & Florentinam quidem scripto libello, quem viginti Doctores subsignaverant, mentem suam expressisse. Tandem re in Concilio maturè, lentèque discussâ, Benedictum XIII. & Gregorium XII. quamquam eorum alter verus Pontifex esset, Papali dignitate abdicarunt, initisque suffragijs novum Ecclesiæ Pontificem dedere, Alexandrum videlicet V. quem pro vero Legitimòque Pontifice, & tora ferè Ecclesia, si paucos excipias Benedicto, Gregoriòque addictos, agnovit; & ipse Alexander, quamvis notæ sanctitatis, mortique vicinus, ubi finiri ambitio solet, se verum Pontificem pro-

(a) Maimb. Traittè Histor. ch. 21. f. 184. & du Grand, Schism. d' Occident lib. 4. à fol. 63.

professus est. Patet ergo Auctoritatem Concilij supra Pontificem in Concilio Pisano multis modis ostensam esse. Et verò fuisse hoc Concilium Oecumenicum, & unum ex majoribus conventibus, qui unquam in Ecclesia peracti sint, patet ex numero & dignitate Prælatorum, qui illi adfuerunt: quippe Cardinales quinque supra viginti, Patriarchæ quatuor, Episcopi 182, Abbates 290. inter quos Capita & Generales omnium Ordinum, Magni Ordinum S. Sepulchri, Theutonici, Rhodiorumque Magistri, Universitatum Parisiensis, Tholosanæ, Aurelianensis, Andegavensis, Cracoviensis, Viennensis, Pragensis, Coloniensis, Oxfordiensis, Cantabrigiensis, Bononiensis, Florentinæ aliarumque Deputati: Legati quoque Metropolitanarum & Cathedralium Ecclesiarum supra centum: Theologiæ, sacrorumque Canonum supra trecentos Doctores. Oratores denique Galliæ, Poloniæ, Bohemiæ, Cypri, Siciliaeque Regum: Ducum quoque Baviaræ, Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantij, Brandenburgi, omniumque ferè Germaniæ Principum; præter alios Hispaniæ, Arragoniæ, Hungariæ, Suediæ, Norwegiæ, Daniæque Reges, qui tandem Concilio Pisano adhæsere. Ergo quo primùm tempore conferri inter se Conciliorum potestas & Pontificum cæpit, tot Regnorum, Provinciarum, Universitatum, Ordinum, Doctorum, Episcoporum, hoc est, totius ferè Christiani Orbis vox una & sententia fuit, Pontifices Concilio subesse, ab eoque judicari, puniri, deponique posse. Hactenus ferè verba Maimburgi ex Gallico translata.

II. *Resp.* Hæc Maimburgi narratio partim & argumentatio, eodem filo, quo reliquæ hujus Auctoris, contexta est: videlicet ex principijs aut dubijs, aut falsis, semper tamen specie veri coloratis, ut eodem tempore placeant, fallantque incautos? Nam *Primo* certum quidem est in Concilio Pisano fuisse Gregorium XII. & Benedictum XIII. Pontificatu ejectos, electumque Alexandrum, sed non æquè certum jure id factum, & ex legitima potestate; nec propterea novi Pontificis electione cessavit dubitatio, quis pro vero Pontifice habendus esset: nec sublatum Schisma, imò quod plerique eorum temporum Auctores notant, auctum potiùs, diffusumque novi Pontificis accessione, adeò, ut cum prius Ecclesia in duas, postea in tres factiones scinderetur, augente incertitudinem

Pontificum numero, eâ ferè ratione, quâ in Labyrintho, non idè certius eas, quia pluribus vijs: & qui Gregorio ac Benedicto adhærebant, nec pro hæreticis aut Schismaticis habiti sunt, quod videlicet multis nec inanibus rationibus niterentur, ut Concilio Pisano non subscriberent, nec satis de vero Pastore constaret; imò etiam sanctos reperias, qui Concilio Pisano oblectati sunt, inter quos S. Antoninus: (a) *Pisanum Concilium, inquit, vel Conciliabulum, cum non esset alicuius eorum, qui se pro Pontifice gerebant, auctoritate congregatum, non erat ablatum ipsum Schisma, sed augmentatum ex duobus, tribusve se pro Papa gerentibus.* Et alibi testatur: *Gregorium à multis DELIM timentibus & peritis creditum fuisse verum Pontificem tempore ejusdem Concilij.* Si ergo à Pisano conventu electo Alexandro, depositisque Benedicto & Gregorio, multi nihilominus sanctitate & doctrinâ conspicui, nec Alexandrum agnovère, nec à Gregorio separati, nec tamen pro Schismaticis, sed pro veris pijsque catholicis habiti sunt, sequitur omnino, Concilium Pisenum non fuisse pro certo & Oecumenico, nec novam electionem Alexandri, & Gregorij abdicationem pro legitima habitam; alioquin Schismatici impijque, qui aut legitimo Concilio, aut vero Pontifici obliterent, & abdicato, falsoque adhærerent. Planè post Concilium Pisenum, Neapolitanum & Siciliae Regna, Romandiola, Ducésque Bavariae, ac plurimi Germaniae Episcopi Gregorio adhæsere, neque is alligari se voto credebatur, quod de Pontificatu abdicando emiserat; quippe cum id votum conditionatum esset, si videlicet Petrus de Luna idipsum præstaret; hoc quippe dignitatem retinente, nec pax Ecclesiae obrineri poterat, nec Schisma extingui, cum Regna, Provinciae que non paucae Benedicto parerent, Arragonia videlicet, Navarra, Castellae, Scotia, Baleares, Corsica, Sardinia, aliaeque, & Eugenius IV. in apologia (b) fatetur Obedientias Gregorij & Benedicti fuisse non modicam Christianitatis partem. Idque aperte Petrus de Alliaco Episcopus Cameracensis professus est, qui sedente Constantiensi Concilio librum scripsit de Ecclesiae & Cardinalium potestate; is enim primam conclusionem his verbis expressit:

(a) *Licet*

(a) S. Antonin. 3. p. Tit. 22. c. 5. §. 2. & c. 6. §. 2. (b) V. epist. Archiepisc. Narb. in M. S. Regesto Concil. Schelstrate in Actis Concil. Consl. fol. 51. Eugen. IV. in Apolog. contra Basileenses. Turrecr. lib. de Eccles.

(a) Licet Concilium Pisanum fuerit legitime ac canonicè celebratum, & duo olim contendentes de Papatu jure & canonicè condemnati, & electio Alexandri V. fuerit rite ac canonicè facta, prout hæc omnia tenet Obedientia Domini nostri Papæ Joannis XXIII. tamen due Obedientie duorum contendentium probabiliter tenent contrarium, in qua opinionum diversa & aduersa veritate non sunt minores difficultates Juris & facti, quàm ante Concilium Pisanum erat de Justitia duorum contendentium. Hæc Alliaci confessio doctrinâ clarissimi, qui que eodem tempore scribebat, rerum, quæ in Concilio fiebant scientissimus, tantò pluris esse debet, quòd ipse à Joanne XXIII. purpuram accepisset, ejusque partes teneret; sicque non tam odio aut partium studijs, quàm rei veritate ad hæc scribenda permotus credi debeat. Et re ipsâ Concilium Constantiense hanc Alliaci sententiam amplexum est, approbavitque. Cum enim Anno 1415. die 4. Januarij Joannes Dominicus Cardinalis & Nuntius Gregorij XII. in Concilio comparuisset, cæptum est à Patribus disceptari, an cum purpura & insignibus Cardinalis admittendus esset? multis abnuentibus, censebant alij admitti eum debere, inter quos Alliacensis Cardinalis præcipuus, cujus etiam sententia prævaluit, & Gregorij Legatus galero purpureo insignis magnòque apparatu in Constantiam investus est. Audi Acta Concilij ex duobus MM. SS. Codicibus Bibliothecæ (b) Victorinæ, Maimburgo sæpe & vehementer laudatis. *Alij asseruerunt, Licentiam fratri Joanni Domini concedendam cum capello rubeo ingrediendi: & hujus sententia fuit R. D. Petrus Cardinalis Cameracensis, & quidam alij, die namque 22. Januarij, D. Frater Joannes Dominici tituli S. Marci Presbyter Cardinalis Ragusinus, ut Cardinalis & cum Capello rubeo medius inter Dominos Ducem Bavarie & Ducem Briegæ sequentibus Dominis Wormatiensi, spirensi, & Verdensi Episcopis in Obedientia dicti Gregorij persistentibus, qui omnes prædictis Legatis Gregorij extra Constantiam obviavere, & Civitatem Constantiæ sunt ingressi &c. Nota Episcopum Ragusinum à Concilio Pisano, & ab Alexandro V. & Joanne XXIII. nunquam pro Cardinali agnitum esse, sed Patres Constantienses rationibus Petri Alliacensis permoti eum pro tali recepere, sicque ipso facto professi sunt, jura Gregorij non adeò projecta esse & conclamata, ut sustineri*

(a) Petrus Alliac. in Conclusionib. à Philippo Labbeo editis, & in Appendicem Concil. Constant. rejectis. (b) Regelt. Concil. Constant. ex duobus M. M. SS. Bibliothecæ S. Victoris.

stineri pro vero Pontifice non posset; si enim certum erat Gregorium Pontificem non esse: ergo æquè certum, non esse veros Cardinales, quos ipse purpurâ induisset, cur ergo pro talibus habiti, admisisque? Idem Episcopus Ragusinus, cum Gregorij XII. insignia Pontificia ædibus suis appendisset, & propterea ingens inter Patres certamen accensum esset, eorum præsertim, qui Joannis partes sequebantur; die 20. Novembris collectis in Concilio Patribus certatum diu est, pugnantibus Antistitum votis, tandem prævaluit sententia negantium tolerari insignia Pontificia deberi, nisi ipse Gregorius coram præsensque adesset; in hoc ergo omnium vota convenere, ipsi Gregorio permitti posse, si adesset, ut insignibus uteretur Pontificiæ dignitatis: non ergo certum erat Pontificem non esse; quomodo enim in tam sacro senatu permitterent Gregorium Mimum agere, & in ludibrium summæ potestatis, ipsoque Joanne Pontifice coram tiaram ostentare alteri raptam? Audi ipsius Concilij tabulas: (b) *Alij verò asserunt supradicta arma in locis prædictis in Obedientia Domini Nostri Joannis XXIII. constitutis affigi non potuisse, & per consequens, ex quo deleta fuerant, reponi non debere, & hujus sententia fuit D. Patriarcha Gradenfis, & alij, qui plures, quàm alteri sententia adhererunt dicentes, nisi Angelus Corravio personaliter veniret, ipsius arma ibidem non debere depingi.* Sed nihil æquè ostendit, Patres Concilij Constantiensis Decreta Pisani Concilij, & Gregorij abdicationem, ac electionem Alexandri, & Joannis, pro dubijs, incertisque habuisse, quàm quæ sessione 14. peracta sunt, in qua cum Gregorius non prius Papatu cedere vellet, quàm ut Joannis XXIII. tanquam Pontificis mentio nulla fieret, ut Sigismundus Imperator auctoritate & delegatione Gregorij Concilio præfideret, ut ipsum Concilium tanquam prius non ritè congregatum, iterum suâ auctoritate convocaretur, & confirmaretur, quod etiam à Cardinali Ragusino nomine Gregorij factum est, & sic tandem ipse Gregorius Pontificatu cessit. Tantum verò abest, Gregorium à Concilio pro pseudo-Pontifice habitum esse, aut pro Schismaticis, qui eum venerabantur; ut semper, quoties Gregorij

(a) Regest. Actorum Constant. ex 2. MM SS. codd. Biblioth. S. Victoris apud doctiss. Scheffstratt. in Tract. de sensu & auctoritate Decretor. Concilij Constant. fol. 153.

gorij mentio incidebat, tanquam de dubio Pontifice loqueretur, & hanc formulam adhiberet, cautam quidem, sed tamen venerationi mixtam, videlicet: *Ille Dominus, qui in sua Obedientia dicitur Gregorius XII.* Et cum Resignationem, & alia Gregorij postulata admisit, his verbis usum est: (a) *Dictam Convocationem, Auctorizationem, & Confirmationem, in quantum ad Gregorium perinet, & auinet, eis admisserunt.* Quibus verbis omnino Patres significant Gregorium pro dubio saltem Pontifice sustineri potuisse; alioquin si illum pro certo & notorio Pseudopontifice, & temerario Invasore sacrae Sedis haberent, quâ ratione, imò quâ conscientia permitterent, ut Concilium indiceret, confirmaret, novum Praesidem deligeret, & denique abdicaret se potestate, quam non habebat? Planè fuisset hæc indulgentia & simulatio, tam sacro, amploque senatu plusquam indigna. Maimburgus quidem in libro (b) de Magno Schismate Occidentis hæc omnia pro lusu & scena habet, Patribus id Gregorio indulgentibus: *Ut Synagogam suam cum apparatu pompæque funeraret, inani quidem solatio, sed tamen innocuo.* Cæterum alias oportet esse Maimburgi curas, & cogitationes hominis privati imbutique politicorum principijs, ac utilia tantum, non honesta, aut decora spectantis: alias Concilij Oecumenici tot Purpuratorum, Antistitum, Principumque affluxu insignis, & nihil indignum quovis obtentu admissuri. Ac deinde prudentum iudicio reliquerim, majorem Maimburgo fidem habere velint, post duo sæcula & ex suo scribenti, quam Petro Alliacensi Cardinali & Archiepiscopo Cameracensi, quique Concilio aderat, & omnia coram spectabat, Joanni XXIII. à quo Purpuram induerat, alioquin additissimus; is verò in Conclusionibus Anno 1415. post primam Sessionem mensis Februario Patribus Concilij oblatis, honores Gregorio oblatos non vanæ ostentationi, inanique fabulæ tribuit, sed quod *dua Obedientia Gregorij & Benedicti istos probabiliter pro Pontificibus tenerent, in qua opinionum diversa & adversa veritate non essent minores difficultates Juris & facti, quam ante Concilium Pisanum erant.* (c) Honores ergo à Patribus Gregorio exhibiti non vanæ fabulæ dati, ut

L

ut

(a) Session. 14. (b) Maimb. histor. du grand. Schif. d' Occid. l. 5. f. 309.
 (c) Ex Gestis Constant. Concil. in 4. MM. SS. & Append. ejusdem Synodi
 Edit. Paris. apud Labb. Tom. XI. Concil.

ut Maimburgo visum, sed Gregorij rationibus suum Pontificatum multis facti & Juris fundamentis, ac asecularum auctoritate fulcientis. Nec dubium est, eadem ratione, iisdem honoribus Benedictum XIII. à Concilio afficiendum fuisse, si modò æquè animum paci adjecisset; nam & ejus Pontificatum probabilem reddebant, cum tot Regnorum, Principumque auctoritas, qui ejus partes sequebantur: tum etiam quamplures juris factique rationes, quas ipse septem horarum spatio, quibus peroravit in Conventu Perpiniani habito, tantà eloquentiâ persecutus est, ut attonitos, defixosque redderet Auditores: nec minimum pondus ejus causæ addebat duorum fratrum sanctitas, Vincentij videlicet, & Bonifacij Ferrerij, Benedicto etiam post Pisanum Concilium additi. Et denique Johannes Gerson, (a) cujus auctoritatem tantopere & ubique contra Pontifices Maimburgus deprædicat, in tractatu de modo se habendi tempore Schismatis hæc habet: *In Schismate presenti tam dubio, temerarium, injuriosum & scandalosum est asserere, omnes tenentes istam partem vel alteram esse extra statum salutis, vel excommunicatos, vel rationabiliter de schismate suspectos.* Et infra: *Tota ratio fundatur in hoc, quòd nunquam fuit tam rationalis & vehemens causa dubitationis in aliquo Schismate, sicut in isto, cujus signum evidens est varietas opinionum Doctorum, & inter doctissimos & probatissimos ex utraque parte &c. Potest ergo illud dici rationabiliter dubitabile, quòd plurimi & maxime sapientes dubitabile reputant & predicant &c.* Quæ doctrina & ratiocinatio Gersonis etiam post Concilium Pisanum locum habuit; nam etiam post illud fuit varietas opinionum Doctorum inter doctissimos & probatissimos, ut enim de solo Benedicto XIII. loquar, cujus Obedientia multò alijs inferior minorque, etiam post Pisanum Concilium, à quo depositus est, ei Regna Scotiæ, Navarræ, Castellæ, Arragoniæ, Sardiniaque adhererunt, inter quos S. Vincentius Ferrerius, qui novem post Pisanum Concilium annis constanter Benedicto adhæsit, nullo Sanctitatis suæ damno, quòd etiam fatetur Maimburgus. (b) Non ergo constabat Concilium Pisanum Oecumenicum esse, & Alexandrum in Concilio electum, ejusque successores veros Pontifices; alioquin non sanctus, sed Ethnicus & Publicanus, qui noller Ecclesiam

(a) Joann. Gerson. I. part. operum. (b) Maimb. du Grand, Schism. d' Occident lib. 5. fol. 453.

siam audire, veròque ac legitimo Pontifici parere. Utque irrefragabili testimonio omnia concludam, id ipsum tres Nationes, Gallica, Hispanica & Italica cum Collegio Cardinalium professæ sunt, hoc est, major saniorque Concilij pars, quando in protestatione contra Germanicam Nationem edita, & in qua petebatur, ut omisso interim Reformationis articulo ad electionem procederetur indubitati Pontificis, ita loquuntur: (a) *Ecclesia in periculo remaneret, quia vix aut nunquam Summus Pontifex indubitatus posset haberi, quia vix congregaretur indubitatum Concilium deficiente Capite, ad quod pertinet convocare.* En! fatentur Patres Constantienses, nec Pisani, nec aliud Concilium certum esse posse sub incerto Pontifice. Hæc omnia eò pertinent, ut ostendam auctoritatem Concilij Pisani tot Principum, Regum, Antistitum, Sanctorum, ipsiusque Concilij Constantiensis opinione nullo modo certam, & indubiam fuisse, ideòque à quamplurimis mortalium sine Schismatis nota Benedictum & Gregorium pro veris Pontificibus agnitos, quod etiam Maimburgus nunquam sibi constans profiteri compulsus est, quando in libro de magno Schismate Occidentis scribit: (b) *Eorum sententiam, qui Benedictum pro vero Pontifice agnoscebant, probabilem fuisse (quamvis contraria magis probabilis esset) & ideò viros sanctitate, doctrinâ, & dignitate præcipuos potuisse illam securâ conscientia amplecti.* Si ergo teste Maimburgo hæc propositio: *Benedictus est verus Papa;* erat probabilis, ergo ejus opposita, videlicet, *Benedictus non est verus Papa,* non erat certa, quod enim est certum, excludit contrariæ sententiæ omnem probabilitatem; quemadmodum quia hæc propositio, *nix est alba,* est certa; ejus opposita videlicet, *nix non est alba,* omnino non est probabilis: sequitur ergo Benedictum & Gregorium fuisse probabiliter veros Pontifices, & consequenter auctoritatem Concilij Pisani, quod utrumque depofuerat, ex Principijs Maimburgi, nullo modo certam, sed dubiam fuisse, quod probare susceperam. Erravit ergo Maimburgus, quando indubias & evidentes veritates Lectori pollicitus, dubias, incertâque supposuit.

III. *Secundo.* Demus tamen Concilio Pisano omnem auctoritatem

L 2

tatem

(a) Protestatio trium Nationum in Concilio Constantiensi post session. 38. ex Gestis Concilij in 4. MM. SS. codd. apud Schelstratt. fol. 6. (b) Maimb. hist. du Grand. Schism. d' Occident lib. 6. fol. 379. ad Annum 1415.

quam Maimburgus optat, etiam quam non habuit, adhuc tamen certum est, nihil pro Maimburgo, ejusque sententia facere. Duo enim quæri possunt, *Primo*, an Concilij Oecumenici auctoritas sit major auctoritate Pontificis Schismatici, Hæretici, dubitque, aded ut talis Pontifex à Concilio judicari possit, deponique? *Secundo*, an Concilij Oecumenici auctoritas sit major auctoritate Pontificis Catholici legitimi & certi? De hoc secundo tota quæstio & controversia inter nos est, de hoc Propositiones Parisienses loquuntur, hoc Maimburgus probandum susceperat, hoc probandum ergo erat. At Concilium Pisanum nihil penitus loquitur de hoc secundo, sed de primo tantum, de quo nulla dubitatio, nulla controversia est; quæ ergo nova hæc disputandi, demonstrandique methodus, probare jam aliàs certa & concessa, non probare negata? quærimus de Pontifice certo, Maimburgus probat de Pontifice dubio: quærimus de Pontifice Catholico, probat de hæretico: perinde, ac si iter Romam quærenti, alter Constantinopolim monstraret. Nihil ergo ad rem faciunt, quæ disputat, & ut dici solet, toto ostio aberat. Id autem quàm verum sit, hoc est, Concilium Pisanum loqui solum de Pontifice dubio, Schismatico & Hæretico, ex jam dicendis intellige, ubi etiam norabis, quàm malâ fide idem Maimburgus acta Concilij Pisani alleget, invertatque, ut videlicet quod veritate non potuit, evincat pudendis artificijs.

Certum igitur est, quo tempore Concilium Pisanum celebratum est, in eoque Gregorius & Benedictus depositi, nullum certum Pontificem extitisse, sed ob infinitas & contrarias juris & facti rationes vehementer dubitatum esse, utri Pontificum parendum esset, toto Christiano Orbe in duas factiones diviso; nam Italia cum suis Insulis, Germania, Bohemia, Hungaria, Polonia, Angliæque Gregorio parebant, Gallia verò, Hispania, Scotia cum subiectis Insulis Benedicto. Hæc verò incertitudo, uter ex duobus Pontifex esset, tanta fuit, ut Universitates Parisiensis & Bononiensis eam inextricabilem vocaverint, sic enim in Conclusionibus Concilio porrectis loquuntur: (a) *Quinta conclusio stante dubio inextricabilis Papatus propter*

(a) Conclusiones Universit. Paris. & Bonon. ex Gobel. Paderb. Off. & habentur inter acta Conc. Pisan. apud Binn. T. 3. Conc. p. 2. & Lucam d' Acher, Tom. 6. sp. cil.

propter dubium facti & juris, ne in subversionem fidei Ecclesia sic maneat perpetuò
 divisa cum tanto scandalo & animarum perditione; provisio spectat ad Concilium,
 ut utrumque eis non cedentibus possit à Papatu ejicere. In quibus verbis duo
 observa: unum, fateri Parisiensem Universitatem inextricabile
 dubium fuisse, quis ex duobus verus esset & legitimus Pontifex,
 sicque casum & quæstionem, quæ tunc temporis in Universitate
 Concilioque vertebatur, non eam fuisse, de qua modò disputamus,
 videlicet de vero & indubitato, sed de dubio Pontifice; ut proinde,
 quæ de uno casu decisa in Concilio & Universitate sunt, malè ad
 alium casum ad eò diversum applicentur. Alterum verò, quod in
 ijs verbis observari oportet, est, utramque Universitatem, Bon-
 nienfem videlicet & Parisiensem, potestatem Concilij de Pontifice
 exauctorando expressè ad solum casum dubij Pontificis restringere;
 sic enim loquitur: *Stante dubio Papatus inextricabili, provisio spectat ad Con-
 cilium.* Si ergo nullum sit dubium, provisio non pertinebit ad Con-
 cilium; si enim absolutè, ac etiam omni dubio remoto posset de
 Pontifice Concilium providere, cur restringeret ad solum casum
 Pontificis dubij? Certum igitur & indubitatum est, Concilium
 Pisanum agere, & decidere de alio omnino casu, quàm ille sit, de
 quo nos disputamus; illud enim de dubio Pontifice, nos de indub-
 itato, certòque loquimur. Imò quod majus est, Patres Concilij
 Pisani velut trepidarent etiam in dubios, incertòsque Pontifices
 sententiam dicere, illud omni studio conati sunt, ut aliam causam,
 magisque certam inquirerent Pontificem deponendi, hæresin
 videlicet, quæ unica causa est, ob quam Pontifices dignitate suà
 excidunt; & idèd in omnibus sessionibus, citationibus & sen-
 tentijs in duos Pontifices latis, hanc causam eos deponendi ob-
 tendunt: *Quòd videlicet essent notorij Schismatici, necnon notorij here-
 tici, & à fide devij;* credebant enim remotà hæresi, ne quidem
 judicari illos à Concilio, multò minùs deponi posse. Id ita
 esse ex singulis sessionibus hujus Concilij patet, quas breviter
 percurram. Nam sess. 3. hæc habentur: *Declaratio ad Decretum
 latum contra duos contententes de Papatu ob contumaciam ipsorum in causa
 fidei, & schismatis contumacie.* Et infra, *Sancta Synodus Dominos Petrum
 de Luna, & Angelum Corario de Papatu contententes, & quantum in eis est,
 Ecclesiam DEI in notorio schismate tenentes, & proclamatos in causa Schismatis
 & fidei*

& fidei ad hoc praesens & sacrum Concilium. Et sess. 9. Insuper sacra synodus ex causis, quibus supra pronuntiavit, statuit, & decrevit, praefatos contententes de Papatu in praesenti causa Schismatis & fidei contumaces fore &c. Et infra. Item eadem sacrosancta Synodus in favorem fidei, & Schismatis extirpandi &c. Et sess. 13. in oratione Magistri Petri Plauti: Et postmodum posuit opinionem Universitatis Parisiensis, videlicet, quod Petrus de Luna est Schismaticus, pertinax, & hereticus, etiam accipiendo haeresim propriam & strictam, & praesens ab Ecclesia DEI &c. Idem habetur sess. 14. & sess. 15. ubi recitatur sententia in Benedictum & Gregorium à Concilio dicta: Christi nomine invocato sancta & Universalis Synodus declarat &c. Utrumque fuisse, & esse notorios Schismaticos, & antiqui Schismatis nutritores, nec non notorios hereticos, & à fide devios. Et in prima conclusione Parisiensis & Bononiensis Universitatum: Uterque de Papatu contententes ex debito Pastoralis officij veri vel praesens stante Schismate tam inveterato tenetur & debet credere, ex quo propter dubia juris & facti super Papatu alteri dari non potest unio & pax in Ecclesia DEI &c. Et in 3. conclusione. Papa stante tali Schismate pertinaciter resistendo incurrit crimen notorium, propter quod subijcitur provisioni Concilij, & ultra hoc concluditur Schismatis nutritor & fautor, cujus obstinatione & vetustate descenditur in haeresim, & fides laeditur, cujus provisio pertinet ad Concilium. Haftenus Acta Concilij, ex quibus aperte intelligas Concilium semper loqui de dubio Pontifice, haeresisque comperto, & Schismatis tempore, & idem semper haec à Patribus repeti, sollicitis quippe, ne de alio quam Schismatis casu, aut alio Pontifice, quam dubio incertoque intelligerentur. Eandemque Universitatis Parisiensis doctrinam & cautelam fuisse, suas Conclusiones ad casum Schismatis restringentis. Nec enim epistolam ignorabant Adriani II. in octava Synodo lectam approbatamque action. 7. ubi inter alia haec habet: Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Praesulibus judicasse legimus, de eo vero quemquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus anathema dictum sit, sciendum tamen est, quia fuerat super haeresi accusatus, propter quam solium licitum est minoribus Majorum suorum moribus resistere. Vides Adrianum ne Concilio quidem Oecumenico permittere (hoc enim Honorio anathema dixerat) ut extra casum haeresis Pontificem judicet, neque Concilium Oecumenicum octavum contradixit; sed potius summis laudibus eam epistolam extulit. Patet

tet ergo Concilij Pisani mentem, doctrinam & decreta, ad forum Schismatis & hæresis casum pertinere, de quo alibi (a) actum.

IV. Sed excusari Maimburgus utcunque posset, quippe aut statum quæstionis, de qua nunc agimus, aut Concilij mentem & verba non satis observavit: illud verò nulla ætas, nulla historia (cui fidem suam obstrinxit) ignoscet, quòd sciens prudensque sententiam Parisiensis Universitatis pervertit, eique non alium tantum sensum, sed alia omnino etiam verba adaptet, pari & sui dedecore, & Lectorum, quos fallit, injuriâ. In suo enim Tractatu historico de Prærogativis Ecclesiæ Romanæ capite 21. fol. 148. prope initium hæc habet: *Petrus Plausi unus ex Universitatis Parisiensis deputatis longâ, doctâque oratione, quam in pleno Patrum confesso peroravit, multis rationibus Ecclesiæ Universalis, & consequenter Concilij, quod eam representat, auctoritatem Pontificia auctoritati præstare ostendit, addiditque hanc esse Parisiensis, & omnium Gallia Universitatum sententiam.* Sed quàm à veritate hoc sit alienum, facile ex verbis actûque Concilij intelliges, quæ aliud omnino exhibent, quæque non potuit ignorare Maimburgus: sic ergo habent: (b) *Decima tertia sessio fuit die Mercurij, die 29. Maij, in qua post Missam & Litanias Magister Petrus Plausi pro Universitate Parisiensis dixit, opinionem Universitatis esse, istos duos contendentes debere reputari Schismaticos, & hæreticos pertinaces, firmans auctoritatem Concilij ad decidendam hanc causam, & declarandum, eos esse ab Ecclesia præcisos & abjectos &c.* Postea in medio: *Unus Episcopus Italicus dictus Novariensis legit quandam schedulam facientem mentionem; qualiter secundum ordinationem Dominorum Cardinalium per D. Cardinalem Mediolanensem fuerunt simul congregati omnes Magistri in Theologia & Licentiatii, qui ad dictum Concilium de multis partibus & Universitatibus convenerunt, & inter eos fuerit habita plena deliberatio super ista materia, & postea in eandem opinionem convenerant, & concordēs fuerunt, videlicet, quòd dictos contendentes tenent Schismaticos &c.* Vides quàm alia sit Parisiensis aliarumque Universitatum sententia, ab ea, quàm illis affingit Maimburgus; non enim dicunt: *Concilia esse supra Pontificem, ut ille mirâ fiduciâ scribit: Sed Benedicim & Gregorium pro schismaticis & hæreticis habendos, & Concilium*

(a) Regale Sacerdot. fol. 415. & 462. (b) Acta Pisana ex editione Lucae & Acher scilicet. 13. & Philippi Labb. edit. Paris.

num esse in hac causa cognoscenda iudicem. Quod toto Cælo diversum est, ut pater. Sed piguit Maimburgum sententiam & verba Universitatis referre, quippe causæ suæ aut noxia, aut inutilia: at hoc non historici, sed Poetæ officium. Equidem fateor, cum primùm legendis Maimburgi historijs animum adjeci, magna me hujus hominis opinio, magna expectatio cœperat, illectum quippe & dulcedine Gallici sermonis, & ingentibus promissis tam multa & mira Lectori pollicentis: nec falli me posse credebam; nec ignorantiam in viro erudito, & doctrinam passim jactante: nec fraudes in sacerdote suspicabar: & animum firmabant narrationes historicæ tot ornamentis & coloribus veritatis aspersæ, ac candorem simplicitatēque toties professæ. Ubi verò me & semel, & decies, & centies deceptum vidi; fateor non minùs trepidum, anxiumque per hujus hominis historias incedere, quàm olim Moyses, cum per spinas, veprēsque nudis pedibus ad rubum vocaretur; suspenso videlicet semper gradu, & casum, aut vulnustimente. Nunc reliqua videamus.



§. IV.

Agitur de Concilio Constantiensi, & argumentis ex eo petitis respondetur.

SUMMARI A.

1. Exhibentur Concilij Constantiensis Acta suis temporibus distincta.

2. Patres Constantienses circa auctoritatem Concilij in quinque sententias divisi, quarum ultima est peior, ac votis infrequentior Johannis Gersonis.

3. Octo argumentis invictisque ostenditur, Decreta 4. & 5. Sessionum necessario examine ac deliberatione caruisse, nec posse dici conciliariter facta.

4. Eadem Decreta ne in ipso quidem Constantiensi Concilio, nec à Patribus pro Decretis Oecumenici Concilij habita esse, testimonijs gravissimorum auctorum, qui Concilio intererant, ac etiam Gallorum alijs novem argumentis demonstratur.

5. Sed nec prefata 4. & 5. Sessionum Decreta à Martino V. Pontifice Max. esse confirmata.

6. Imò Concilium Constantiense pro nobis esse, quatuor argumentis evincitur.

I.

Auctoritate Concilij Constantiensis nimium quantum sibi Maimburgus blanditur, in eoque spem victoriæ reponit, ac doctissimam Canonici Schelstrate de hoc argumento dissertationem aliquot capitulis incescit, triumphanti potius, quàm pugnanti similis; nam & hanc

hanc quoque inter alias habet fallendi artes, ut victoriam simulet, etiam dum cadit. Ut ergo Constantiensis Concilij mentem, ac sententiam plenè intelligas, tria hoc paragrapho exequar. Primum feriem & acta Constantiensis Concilij per sua tempora distinguam. Secundò Constantiense Concilium à nobis stare demonstrabo. Tertio ad ea, quæ Maimburgus objectat, respondebo.

Acta ergo Constantiensis Concilij quod atinet, ea ex suis principijs deducta sic habent. Anno MCCCIV. post longum Purpuratorum certamen Clemens V. Archiepiscopus Burdigalensis Gallus in Pontificem eligitur operâ præsertim Cardinalis Pratenfis, & Philippi Pulchri Gallie Regis, cum quo secretæ pactiones. Is Apostolicam Sedem Avenionem in Gallias transtulit, hæsitque septuaginta & supra annos sub varijs Pontificibus, videlicet, Clemente V. Joanne XXI. Benedicto X. alijs XII. Clemente VI. Innocentio VI. Urbano V. Gregorio XI. Creditur Clemens Sedem in Gallijs ex arcanis pactis fixisse. Sexta enim Philippi postulatio, cum de Pontificatu transigerent, his verbis concepta fuit: (a) *Sextam gratiam mihi reservo, exprimendam loco & tempore suo, arduam & magnam.*

Anno MCCCCLXXVII. Gregorius XI. Galliam relinquit, rediitque in Urbem. Persuaserunt Gregorium, ut rediret, sanctarum Brigittæ & Catharinæ preces & Oracula, Italiae Legationes, præsertim verò calamitates ac bella, quæ illam ferè consumpserant; sed vix annus effluxit, cum Gallias iterum cogitantem mors occupavit. Successit Cardinalium electione Archiepiscopus Barenfis, qui Urbanus VI. appellatus est: hic cum inconsulto impetu Ecclesiasticorum morbos aggreditur, & initia medendi à ferro, flammâque incipit, omnium à se animos avertit, Gallorum præsertim, qui Fundos secedunt, & Cardinalem Gebennensem Pontificem adversus Urbanum renuntiant Clementis VII. nomine. Honestus titulus Schismati quæsitus, quòd videlicet prior Urbani electio metu, minisque Populi Romani extorta fuisset, Cardinales, nisi Italum aut Romanum eligerent, ad mortem expostentis. Sed, ut monui, prætextus hic erat; præterquam enim, quòd etiam ante popularem tumultum in Archiepiscopum Barensem convenissent, quippe ex sexdecim purpuratis (inter quos undecim Galli, Itali quatuor, unusque Hispanus) cum Itali, Gallique nol-

(a) S. Anton. p. 3. tit. 27. cap. 1.

lent Papam Lemovicensem, & Lemovicenses perennare sibi tiam vellent, jam quatuor suæ gentis Pontificibus superbi; tandem in Barensem plerique convenere, idque Gebennensis Cardinalis, postea Clemens appellatus, Marino Episcopo Cassanensi omnium arcanorum conficio aperuit, & hic palam deposuit: verba Gebennensis inter alia hæc fuere: (a) *Nunquam isti traditores Lemovicenses tam potentes erunt, quin pro ista vice nos habebimus Italicum Papam. Per hæc sancta DEI Evangelia nunquam habebimus alium Papam, quam Archiepiscopum Barensem, aut alium, quem ad presens nolo tibi indicare.* Ipse Cardinalis S. Petri vir intragerrimus, & neutri factioni addictus, & cui reluctanti, placandoque Populo Papatûs insignia injecta sunt; cum mors immineret, publicis tabulis professus est: (b) *se à Gallis prius quam Conclave ingrederentur, rogatum esse, ut suffragia pro Barensi sociarent.* Pater ergo jam ante Populi tumultum, metumque incertum, in Urbanum VI. conspiratum esse, non ergo metus extorsit, quod metum præcessit. Nec metus injectus à Populo fuerat, ut Italum, sed Romanum eligerent, quamvis Italum aut Romanum prius postulassent. Audi verba unius ex Populi signiferis sic ad Conclavis fenestram Cardinales alloquentis: (b) *Scitis Domini mei, quod in introitu Conclavis multi clamaverunt rogantes vos, quod eis daretis Italicum, vel Romanum; nunc autem pro parte totius Populi sum missus, & vobis eorum pro parte notifico, quod solum volumus eis dari Romanum, nec essent contenti de Italicis; timent enim, ne sub aliqua conventionione secreta, inter vos & aliquem Italicum non Romanum ipse reduceret Curiam Avenionem.* Et post aliqua: *Placeat Deo, quod nobis detis Romanum; alioquin procul dubio sentietis.* Idque non intrinsecus stetit, sed in facta prorupit: cum enim audissent Barensem, qui Romanus non erat, electum esse; eum occultissimis latebris abditum, & electores Cardinales ad necem quæsierunt; qui tamen inter tumultus elapsi protestati sunt, se millies potius mortem subituros, quam ut Romanum, aliumque præter Barensem eligerent. Audi ex actis hujus Schismatis Abbatis Sifrensis depositionem: (d) *Propter quod (Cardinalem vid. S. Petri, qui Romanus erat,*

M 2 erat,

(a) Depositio Episcopi Cassanensis in actis Schism. Tom. 2. p. 38. & 67. & 4. p. 67. 64. & 78. v. Rayn. ad Ann. 1378. n. 2. (b) Extat Tom 2. de Schism. p. 38 (c) Ex actis Schism. Tom. 2. p. 82. Depositio Abbatis Sifrensis. (d) Depositio Abbatis Sifrensis Tom. 7. de Schism. p. 82.

erat, electum non esse) tota Civitas concurret ad arma, & circumeuntes Palatium minabantur interficere Cardinales; quorum auditis minis aliqui de ipsis Dominis fregerunt solarium Conclavis, & per posticum credentes aufugere finaliter capti sunt à populo, & cum magnis pressuris & opprobrijs reducti sunt in Conclave, territi per populum, quòd nisi eligerent Romanum, erant mortem nullatenus evasuri. Et infra: Et istis quatuor manifestarunt Domini Cardinales electionem Archiepiscopi Barenfis, dicentes eis, quòd Populus bene posset eos interficere omnes, sed non habere Romanum pro ista vice. Et Episcopus Tudertinus in sua depositione: (a) Ipsi verò recedentibus, ego dixi Domino Nostro: (Urano videlicet) Audistis quid dixerunt illi? & ille dixit, quid dixeram? & ego recitavi sibi verba dicta per eos: & ipse dixit: non cognoscunt me bene, si tenerent mille spatias ad collum meum, non renuntiarem. Constat ergo, sponte Cardinales Neapolitanum elegisse, populo Romanum flagitante. Sed quòd omnia superat, cessante jam metu, pacatisque omnibus, & summâ pace compositis, Cardinales tres ferè menses Romæ hæserunt, ab iisque Urbanus Throno impositus, tiarâ redimitus, cultusque omni veneratione est; illi sacris operanti, senatimque agenti, & de gravissimis negotijs consultanti adstiteris, quòdque omnia superat, datis tum privatis, tum publicis ac nomine totius Collegij ad Principes litteris Urbanum verum esse Pontificem professi sunt, quòd etiam ipse Maimburgus fatetur, (b) alijque gravissimi Auctores. Imò Cardinales absentes, qui utique metu tangi non poterant, aut per litteras (c) (sex videlicet, qui Avenione morabantur) aut coram, ut Cardinalis Ambianensis, præcipuus postea discordiarum sollis, Urbanum venerati sunt. Imò in Conventu Episcoporum Parisijs habito, cui Archi-Episcopi sex, Episcopi triginta, & quàmplurimi alij Doctores, Prælatique assederunt, decretum fuit, testimonijs Cardinalium, qui Urbanum reiciebant, seque ipsos mendacij damnabant, standum non esse; à qua postea sententia, ut notat Æmilius (d) in alio minutisque frequenti Conventu recessum est. Et verò qui crederes Cardinalibus illis, qui odio Urbani flagrabant, qui se hostes illius profitebantur, qui Clementem

(a) Tom. 2. Schism. p. 43. (b) Maimb. Grand. Schism. d' Occid. lib. 1. fol. 57. ex Cod. S. Victor. Paris. Frassard. in Chron. Walling. in Rich. Æmil. in Carolo V. (c) Extant litteræ Tom. 2. Schism. p. 32. (d) Paulus Æmilius in Carolo V.

tem novâ electione promoverant, eique se juramento addixerant, quique seipfos mendacij & perjuri arguebant, ob electum, coronatum promulgatumque Principibus, & trimestri obsequio adoratum Urbanum? quis vel in profano Tribunali, minimique pretij causâ testem admitteret tot labibus inquinatum? & metus, qui objectabatur, aut idoneis testibus probari poterat, aut non poterat? si non poterat, vicit Urbanus: si poterat, certe Cardinales, ut ostendi, idonei testes non erant. Planè electio Urbani, si non certa, at saltem dubia erat; ergo donec probaretur contrarium, possessioni suæ relinquendus; alioquin semper, & cum liberit, promptum erit Schismate Ecclesiam turbare, & novum Pontificem jam aliàs electo opponere, quæsito videlicet aliquo crimine, objectoque electioni, & non probato, & tunc demum ad alia vota procedendum; præsertim cum Urbanus Concilium Oecumenicum offerret, in quo & sua, & æmuli jura promerentur, relicta Patribus sententiâ, uter præferendus; nam quamvis longum esset Concilij remedium, at aliud non supererat, & multò longius peiusque Schismatis malum, quod Ecclesiam quinquaginta ferè annorum morâ, & innumeris calamitatibus afflixit; at Clemens eique additi Cardinales oblatum Concilium respue- runt (c) manifesto indicio malæ causæ semper Judicem formidantis. Cæterum neque illud negari potest, Urbani peracerbum & immite ingenium, ac præmaturum Zelum non quidem causam Schismati, sed occasionem dedisse: nam cum sopire ante vulnus ægros oporteret, ne ferrum sentirent aut recusarent, excitabat potius admonebátque doloris inclementibus modis: perinde ac si cruciatu magis, quàm curâ gauderet; hinc omnium averfi animi, ac vindictâ flagrantis, intentique privatis odijs satiandis. Hæc occasione Schismatis duxi memoranda, & præsertim quia Maimburgus in libro (d) de magno Schismate pro Clemente multa disseruit. Cæterum utcunque res habuerit, certum est ex Clementis electione diuturnum obstinatumque Schisma natum esse, quo nullum magis diutiùsque Ecclesiam concussit, nec ante mortem Benedicti XIII. hoc est annos novem & quadraginta extin-

M 3

ctum

(a) V. Tom. 2. de Schism. p. 36. & Tom. 16. p. 12. & Raynald. ad Annum 1378. n. 42. & seqq. (b) Lib. 1. à fol. 105.

æum est, incerto Orbe Christiano, cui capiti obsequeretur. Successerunt Urbano Bonifacius IX. Innocentius VII. Gregorius XII. Alexander V. & Johannes XXIII. Clementi verò Benedictus XIII.

Anno MCCCXCIII. Benedictus, qui Clementi successerat, primò in Conclavi, deinde post electionem solemni se juramento obstringit de abijcienda tiara, si & quoties id publicæ pacis interfit; Idem à Gregorio XII. qui Innocentium excepit, juratum est. Eâ tamen conditione si Benedictus cederet.

Anno MCCCXCIX. Cùm utrèque Pontificum cessionem æmuli exspectaret, & ita obstinatè throno hærerent, neutro primam aleam jaciente; Cardinales Pisam conveniunt, collectâque ibi Synodo Benedictum & Gregorium deponunt, substituuntque Alexandrum. Causam utrûmque deponendi, eligendique Alexandrum Parisiensis & Bononiensis Universitates his verbis expressere: *Quia stante dubio inextricabili Papatus propter dubia facti & juris, provisio spectat ad Concilium.* Et Patres Concilij Pisani: (a) *Visti & diligenter inspectis omnibus & singulis productis, probatis & agitis, habitâque prius inter se ipsos, & demùm cum copiosa multitudine Magistrorum in sacra Theologia, atq; utriusque Juris Doctorum pluries diligenti collatione, tandem deliberatione maturâ in predictos tanquam de Papatu colludentes, Schismaticos & veros hæreticos sententiam Depositionis pronuntiat.* Ubi vides sententiam in hæreticos & dubios Pontifices ferri, sicque penitè nihil obstare sententiæ nostræ, qui de Catholico tantum, certoque Pontifice loquimur. Cæterum electione Alexandri invaluit potiùs Schisma, non extinctum est; Benedicto & Gregorio firmiter throno hærentibus, & multorum Regum, Principumque, imò sanctorum ope ac obedientiâ subnixis, unde patet modicam apud Catholicos huius Concilij reverentiam fuisse.

Anno MCCCCX. Moritur Alexander, eique Balthasar Cossa Legatus Bononiensis, postea Johannes XXIII. appellatus sufficitur, is auctoritate Sigismundi Romanorum Imperatoris (cujus potentiâ indigebat) aut victus, aut deceptus Concilium Constantiam indicit, eamque Anno MCCCCXIV. solemni pompâ investus est. Die sextâ decimâ Novembris prima sessio habita est, in qua nihil

(a) Concil. Pisân. sess. 15. mense Jun. die 5.

nihil de unione actum. Decimâ nonâ Novembris ad valvas Aedium Augustinianorum insignia Gregorij Pontificis pependere, quæ sequenti nocte, jussu ut creditur, Joannis sublata sunt: ingens super ea re inter Patres natum certamen, (a) cum alij auferri insignia, alij sustineri vellent; omnium tandem sententia fuit, si Gregorius coram adesset, Insignibus Pontificijs uti posse. Non ergo Patribus constabat, Gregorium Pontificem non esse; cur enim insignia Pontificia illi permitterent, quem pro Antipapa haberent? Die vigesimâ quartâ Decembris Sigismundus Imperator Constantiam ingreditur, & Pontifice sacris operante, Evangelium cantat Diaconi amictu. Secuta Imperatorem ingens Principum ac Antistitum turba, adeo ut unâ die triginta equorum millia numerata sint: solum Archiepiscopum Moguntinum Thorace ex rubro holoserico insignem, ferroque ad latus pendente sexcenti equites comitati, ut videas, quæ illorum temporum conditio fuerit. Patriarchæ 4. Cardinales 29. Archiepiscopi 47. Episcopi 160. qui postea ad 300. crevere.

II. Anno MCCCCXV. Mense Januario Joanni Dominico Gregorij Legato à Patribus permissum, (b) ut pileo, vestitûque Cardinalitio ingredi Constantiam posset, obluçtante quamvis Johanne Pontifice. Mense Februario, cum Cardinalis S. Marci libellum sparsisset, quo multa contra Johannis auctoritatem dicebantur; alij continuò in ejusdem defensionem producti, & inter alia hæresis postulabatur, qui indubitatum Pontificem, & nullâ hæresi contaminatum cogi posse ad cedendum dixisset. Sed Cardinalis Cameracensis pugnam dirempturus conclusiones aliquot Patribus obtulit, in quarum prima continebatur: (c) *Duas Obedientias Johanni contrarias probabiliter sustinere electionem Alexandri, ejusque successorum non esse legitimè ac canonicè factam, & in hac opinionum diversitate non esse minores difficultates Juris & facti, quàm ante Concilium Pisanum erat de justitia duorum contententium; & idedò attentâ perplexitate casus presentis pro pace Ecclesie acceleranda posse de Papatu contententes ad cessionem compelli, & nolentes de-*

(a) Ita habent duo MM. SS. Regesti Constant. V. Schelstrate in Tract. de Decret. Conc. Const. fol. 30. & fol. 153. (b) Ita habet Regestum Constant. in duobus MM. SS. & Codices Bibliothecæ S. Victoris Paris. (c) Cardinalis Cameracensis Concl. 3. & 6. ex. 4. MM. SS. Codic. apud Labbeum in Append. Conc. Constant. Tomo XI. edit. Paris. Schelstrate fol. 152.

poni. Vides hic iterum agi tantum de Pontifice dubio, & ex hoc ipso dubio procedere Patres; qui consilio Alliacensis obsecuti sunt ad Joannem deponendum; & ipse Cardinalis omnium, quæ Pisis ac Constantiæ agebantur, conscius fatetur Pontificatum Joannis dubium esse: malè ergo, quæ Constantiæ decreta & peracta sunt de Pontifice dubio, extenduntur ad casum Pontificis certi. Hoc etiam anno Gregorius XII. Legatis suis concedit, ut acta Concilij confirment, ejusque auctoritatem Oecumenicæ Synodi tribuant, eâ tamen conditione, ut Joannes Concilio non præsit, neque id à Johanne convocatum dicatur: nec Joannes postea Concilio præfuit, imò nec arcanis eorum congressibus adesse permixtus est, ne videlicet consilia pacis turbaret solitis artibus; quomodo ergo pro vero, certoque Pontifice habebant, quem nec Præsidem, imò nec collegam ferebant? Vide sessionem 14.

Die 2. Martij Joanes promittit, se Papatu cessurum, modò Gregorius & Benedictus idem præstent. *Diebus 13. 15. & 19. Martij* laboratum est, ut Johannes Procuratorem deligeret, qui ejusdem nomine, *quando & ubi Concilio videretur*, Pontificatum abdicaret. Videbat Johannes se hoc telo peti, cogique ante alios duos tiaram deponere; id ne fieret, multis artibus certatum, sed cum declinare ictum haud posset, Schafhusam profundâ nocte elapsus est, inde Friburgum & Brisacum; secuti à Concilio Legati, qui reditum persuaderent.

Die Martij, 23. peroravit Johannes Gerson, & multa contra Pontificis auctoritatem disseruit; hinc nata quæstio de superioritate Concilij supra Pontificem: & Johannes Galliæ Oratoribus amarè conquestus est Gersonis audaciam, Vaticanum oppugnantis: quæ causâ fuit, ut ijdem Galli cum Cardinalibus collatis capitibus se decretis opposuerint contra Sedis Apostolicæ auctoritatem edendis, & ipse Rex, ut videbimus, ægerrimo animo tulerit, Joannem à Concilio depositum esse, quod etiam Maimburgus (a) alijque fatentur. *Die Martij 26.* celebrata est ante meridiem tertia sessio: huic duo tantum Cardinales adfuere Cameracensis videlicet, & Florentinus; statutum fuit in ea sessione: *Concilium*
Con-

(a) Maimb. du Grand. Schism. lib. 5. à fol. 282. Monach. Dionys. lib. 35. cap. 18. M. Labouréur ibid.

Constantiense per recessum Johannis dissolutum non esse, sed nec dissolvi debere, ante Schismatis extirpationem, nec ad alium locum transferri posse sine consensu Concilij. Hæc omnia non aliâ ratione Alliacensis & Zabarella Cardinales publicari permiserunt, quàm ut illa Joannes Papa rata haberet, confirmaretque. Videre est hanc Cardinalium protestationem apud Philippum Labbeum in appendice Synodi Constantiensis Tomo XI. Conciliorum, & Manuscripto Capranicensi, ex quo Labbeus descripsit.

Die 29. Martij Joannes Schaffhusâ profugit, quippe vicinam Constantiam metuens. Turbati Patres, offensique, & à pluribus Germanicæ, Anglicæ, Gallicæ nationum deliberatum, fixumque est, ut in crastinum sessio quarta perageretur, in eaque hæc capita decernerentur, videlicet: *Primò* quòd Concilium Constantiense potestatem habeat immediatè à Deo, cui etiam Papa obedire teneatur, in his quæ pertinent ad fidem, extirpationem Schismatis, & reformationem Ecclesiæ in capite & in membris. *Secundò* quòd cogi possit, si obedire contumaciter contempserit. *Tertiò* alia complura, quæ omnia cum non solum nationi Italicæ displicerent, sed nec sacro Collegio ad deliberandum oblata essent; noluerunt Cardinales, Gallicique Oratores sessionem adire, nisi secundum Capitulum, quo dicebatur, *Pontificem cogi posse*, omitteretur; & in primo decreto illa verba, *de reformanda Ecclesia in capite & in membris*, deleterentur; quod etiam communi voto à Patribus sequenti die acceptum est, cum videlicet Episcopali vestitu insignes jam quartæ sessioni accingerentur; idque annitente præsertim Imperatore Sigismundo. Cum verò Cardinalis Florentinus, cujus officium erat Decreta in publicis sessionibus legere, ad verba de reformatione Ecclesiæ in Capite & membris pervenisset, nec ea, ut conditum fuerat, deleta à Nationibus observasset, continuo Decretum abruptit; eamque partem *falsam esse, additamque præter communem deliberationem*, professus; ergo clausula de reformatione eâ sessione quartâ omissa est; sed & Cardinales monuerunt Nationes, *ut suspenderent ad tempus materias illas, quæ magnas habent difficultates, & maturam exigunt deliberationem*; ea videlicet, quæ auctoritatem Pontificiam spectabant. Ita notant Abbas Panormitanus in sententia finali, & Regestum Concilii Constantiensis in tribus Manuscriptis Codicibus, quorum verba

N

recitata

recitata reperies apud doctissimum (a) Schelstrate. Et verò ea verba, quæ dicunt: *Papam in ijs, quæ ad reformandam Ecclesiam in Capite & membris pertinent, Concilio subiectum esse*, in sessione 4. omissa fuisse, illud certissimo argumento est; quodd in omnibus ferè Codicibus manuscriptis, qui in Romana, Viennensi, Parisiensi & Salernitana Bibliothecis reperiuntur, ea verba absint, imò ne quidem in tribus Codicibus Manuscriptis, qui acta (b) Concilij Constantiensis complectuntur, & ex quibus Basileenses sua decreta compilârunt; sed neque in celebri illo Manuscripto Capranicensi, qui ad usum Cardinalis de Capranica, Basileensis Concilij temporibus scriptus videtur, & ex quo Philippus Labbeus Constantiensis Concilij ultimæ editioni multa adjunxit, confirmâtque sæpè laudatus Schelstrate (c) testimonij Gobelini Personæ, qui tempore Concilij scribebat, ipsorumque Basileensium, ac aliorum in Gallia codicum; qui etiam alibi notat in Decreto sessionis quartæ, ubi dicitur: *Papam teneri obedire Concilio in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem Schismatis*; eas voces, *ad fidem*, primò appositas esse à Petro Crabbè in sua editione Anni 1538. ex qua in alias postea editiones derivatæ sunt; nam in antiquioribus editionibus videlicet Haggenoviensi Anno 1500. Mediolanensi Anno 1511. Parisiensi Anno 1524. Colonienfi Anno 1530. illæ voces desiderantur; id verò Tabellionum negligentia, qui eas voces omiserint, Maimburgus tribuit. Sed utriusque res habeat, excusari vix potest Maimburgus, (d) quando in suo Tractatu historico, magnis, ut solet, verborum ampullis, triumphos Lectori de Schelstrato pollicitus, ex diversis Gersonis (e) operibus, ac etiam Orationibus in Concilio dictis, probare conatur, ea verba, quæ reformationem spectant, Decreto sessionis quartæ adjuncta fuisse, adeoque victoriæ securus est, sibi que blanditur, ut Schelstrate ad ponenda arma, pacemque ac veniam erroris petendam invitet; nescias victori, an insultanti similior: additque plures alios manuscriptos Codices, quos omnes convenire cum Gersono dicit. Sed Maimburgum egregie confutavit convicitque eruditissimus

(a) Schelstrate in actis Conc. Constant. fol. 2. & 3. & seqq. & in Tract. de sensu. & auctor. Decretor. &c. f. 41. & fol. 84. (b) Schelstr. in Tract. de sensu &c. fol. 24. & 26. (c) Schelstr. in Tract. de sensu & auctor. fol. 42. (d) Maimb. Tract. histor. à fol. 238. (e) Gerson serm. pro viaggio Reg. Roman. & Tract. de potest. Eccles. & serm. in Dom. 2. post Epiphaniam.

mus Schelstrate, ubi evidenter allatisque verbis ostendit Gersonem & consequenter Codices ei conformes loqui de Decretis die 6. Aprilis hoc est, sessione quintâ editis, non verò de Decretis sessionis quartæ, quæ trigessimâ Martij celebrata est. Ultrâmque ergo sessionem Maimburgus confudit, suumque errorem alienum credidit. Dices unde ergo provenit, ut omnes Concilij Constantiensis editiones in Defectio sessionis quartæ hæc verba constanter exhibeant: *Et ad Reformationem Generalem Ecclesie DEI in Capite & in membris?* Respondeo errorem ex eo fluxisse, quòd cum Basileenses viderent auctoritatem suam & Concilium paulatim contemptui ac ludibrio esse, ut fulcirent cadentem auctoritatem, cogitasse de edendis Concilij Constantiensis actis, quorum subsidio Vaticanum impugnarent. Duobus ergo Cardinalibus, totidemque Episcopis, ac Theologiæ Doctoribus, & Archidiacono Zagabriensi Provinciam imponunt, Decreta Constantiensia exhibendi. Id Anno 1441. ab eis peractum: ex hoc codice Joannes Hober ex Inderdorff sacre Theologiæ Baccalaureus, Anno 1490. alium suâ manu exaravit, transmisitque Hieronymo de Croaria juris utriusque Doctori, & hic postea anno 1499. Hagenovij in oppido Imperiali typis vulgatus est. Post hanc aliæ tres editiones prodierunt, quibus acta Constantiensis Concilij juxta Basileensem Collectionem continebantur. Error ergo præsentium editionum circa sessionem quartam à Basileensibus manavit, nec ipse Maimburgus negare potest, Basileensem Collectionem, & editiones ex illa profectas defectu laborare; tam enim editio Hagenoviensis, quam tres aliæ postea secutæ illam particulam, *ad fidem*, omisere, quam Maimburgus necessariam agnoscit. Et hæc quidem circa sessionem quartam ex laudatissimo Schelstrate notanda duxi, jam ad quintam veniamus.

Post quartam cœpta est præparari materia pro sessione quinta; Decretum videlicet, quo dicebatur: *Pontificem Concilio in rebus fidei, meritoque Reformatione Concilio subjectum esse, & ab isto cogi posse.* Et quamvis summi momenti res hæc esset, & aliquando novo & pejori Schismati fomitem datura; sicque longissimo & accurato examine prius cognoscenda, quam decerneretur: nihil tamen aliud à Patribus factum, quàm ut aliquos deputarent, qui cum Cardinale Zabarella Florentino conferrent; is erat, qui illis articulis in sessio-

ne quarta graviter obstitit. At Deputati perindè ac in re levi, parvique pretij rem paucis abolverunt, (a) ac inter alia multa die 2. Aprilis statuere: *Ut proximâ sessione omnes articuli & clausula concordata per Nationes in ultima sessione pratermissæ expedirentur.* Ita habet Regestum Concilij: & notant ejusdem Concilij gesta, quàm leve ac perfunctorium examen fuerit, quo tanti ponderis argumentum expendebatur his verbis: (b) *Post sessionem quartam fuit per Cardinalem Florentinum cum Deputatis aliquantulum disputatum: finaliter Concilium voluit ex integro dictas definitiones in alia sessione pronuntiare, &c.* Vides inter paucos, privatosque ac extra sessionem, nec initis suffragijs, hoc est, non Conciliariter, nec tam decernentium, quàm altercantium more, eo ferè modo, quo in circulis Philosophorum solet, inter Cardinalem & Deputatos disputatum esse, idque ut acta commemorant, *aliquantulum*, hoc est, leviter, cursimque, nec quantum oportebat. (c) Cùm ergo sentirent Cardinales in sessione quinta ea à Nationibus decretum iri, quæ nec examinata erant, nec approbare ipsi poterant, statuerunt sessione abstinere: sed postea cùm viderent, id sine publica offensa, periculòque ne Concilium solveretur, fieri non posse; adire quidem sessionem parant: protestati tamen in ædibus Palatii Constantiensis, ubi infulas sumebant, se vitandi scandalii causâ, non verò animo illis consentiendi, quæ audiebant proximâ sessione decretum iri, Conventui adfuturos; idèmq; Gallici Oratores, qui Cardinalibus se adjunxerant, professi sunt. Audi Regestum Concilij: (c) *Die Sabbathi sextâ mensis Aprilis, cùm per prius inter Nationes & Dominos Cardinales altercatum esset super correctione & emendatione Capitulorum in precedenti sessione (quarta) statutorum; tandem ordinatum & conclusum est, quòd supradicta Capitula modo infra scripto corrigerentur. Convenientibus ergo dictâ die Gloriosissimo Principe Sigismundo Romanorum & Hungariæ Rege semper Augusto, Reverendissimis Dominis Cardinalibus cæterisque Principibus & alijs in sacro Concilio existentibus, præmissâ per Dominos Cardinales & Oratores Regis Franciæ protestatione factâ, quòd propter scandalum evitandum ad sessionem ibant, non animo consentiendi ijs, quæ audierunt statui debere, &c.*

Cùm ergo quinta sessio ageretur, & Decreta legi publicè à Cardinali

(a) Regest. Concil. Constant. in tribus MM. SS. apud Schellfr. fol. 42. Tract. de sensu & auctor. &c. (b) Gesta Concil. ex 4. MM. SS. (c) Regestum Concilij in tribus MM. SS. Codd. apud Schellfr. Tract. de sensu & auctor. &c. fol. 42.

dinali Florentino de more oporteret, recusavit id munus, quippe qui unà cum sacro Collegio ijs decretis nunquam maturè, & conciliariter discussis oblectatus semper esset; electus igitur Poznaniensis vices Florentini obijt, legítque à Nationibus statuta. Et hæc est illa sessio quinta, cujus Decretis tantopere Maimburgus præfudit; cæterum quàm vanis & caducis fundamentis, nemo ex totalijs, qui hoc ipsum conati sunt, elegantius, fortiusque doctissimo Schelstrato demonstravit. Sciendum igitur est, Decreta Sessionis quintæ, nec Conciliariter, nec cum examine tantæ rei debito, maturæ deliberatione, qualem res tanta exigebat, vulgata esse, hoc ita se habere evidentissimis testimonijs & argumentis ostendam. *Primò.* In antiquis Concilijs, quoties fidei aliquis articulus, aut aliàs majoris momenti agitabatur; toties scripturarum testimonia, Antiquitatis monumenta, Conciliorum, Patrúmque Decreta producebantur, quibus veritas fulciretur, sic in Niceno primo & secundo, Chalcedonensi, alijsque Concilijs factum, ubi longam seriem argumentorum reperies. Imò ipsum Concilium Constantiense in alijs articulis decidendis monere solet legitimum longumque examen ac discussionem præcessisse. Exempla sunt Sessione 15. ubi cum errores Johannis Hufs damnandi essent: *Habita, inquit, per prius plenariâ informatione & diligenti deliberatione Reverendissimorum in Christo Patrum S. R. Ecclesia Cardinalium, Patriarcharum, Episcoporum, & cæterorum Prælatorum & Doctorum sacra pagina, & juris utriusque in multitudine copiosa &c. Habita collatione per plures Magistros in sacra pagina &c.* Et sess. 24. in citatione contra Benedictum XIII. *Mandavimus per nonnullos venerabiles viros fratres, & dilectos Ecclesia filios Cardinales S. R. Ecclesia & alios Prælatos, & alios tam sacra pagina, quàm juris utriusque Professores Commissarios nostros ad hoc specialiter deputatos inquiri, informationemque recipi, quam legitime receptam referri jussimus in publica sessione nostra sacrosanctæ Constantiensis Synodi; quâ plenè audita & discussa maturo decrevimus atque digesto consilio &c.* Et sess. 30. ubi approbatur subtractio Obedientiæ factæ per Regem Arragonum: *Eadem sacrosancta Synodus causis & motivis planè inspectis, & diligenter examinatis, de quorum veritate facta extitit eidem Synodo plena fides &c. idè eam S. Synodus ex certa scientia & causa debite cognita &c.* Vides Concilium etiam in quæstionibus multò minoris momenti, quàm sit illa, de qua modò agimus,

mus, nihil decernere, nisi *habitâ plenariâ informatione, & diligenti delibe-
ratione, habitâ collatione per plures Magistros sacra pagina, & juris utriusque
matura, atque digesto consilio &c.* At verò ubi de potestate Pontificia
agitur, deque supremo jure Majestatis, hoc est, de quæstione om-
nium, si fidem excipias, maxima; non rogatæ scripturæ, non au-
diti Patres, non examinata Concilia, non collata in sessionibus
capita, sed ex abrupto, cursimque, & in ipso sessionis limine:
*Declaramus, inquam, Concilio immediatam à DEO potestatem esse, cui Pon-
tifex subdit, cui obedire teneatur.* Quid quæso est rem inconsultò &
sine examine definire, si hoc non est? & quid minus fieri posset, si
de minimo Sacerdote, imò ædituo in ordinem redigendo agere-
tur? Videantur acta Synodi Ephesinæ, illic apparebit, quantâ
curâ, lentisque gradibus, quantâ testium & scripturarum, Pa-
trùmque mole laboratum sit, an Nestorius dejiceretur; nunc verò
non de uno Pontifice, sed de omnibus, imò de ipsa Pontificia di-
gnitate quæstio vertitur, quantò igitur pluribus testibus, majori-
que curâ agi res debuit? & tamen nulla magis, minorique studio
festinata; quæ omnia mihi æstimanti semper magis, magisque
persuasum, fixumque est, non fuisse Concilij mentem quidquam
definire de Pontifice certo, sed tantum dubio & tempore Schif-
matis, hoc enim minoris operæ & indaginis erat. Sciendum
enim est, tempore Synodi Constantiensis circa Concilij supremam
auctoritatem varias Doctorum opiniones fuisse. Prima, ne Schif-
matis quidem tempore posse dubios Pontifices à Concilio judicari,
cui sententiæ Benedictus XIII. adhærebat teste S. Antonino, (a)
imò & Gregorius XII. quique istorum partes amplexabantur, hoc
est, ingentia Regna, virique doctrinâ & sanctitate conspicui; cum
enim in Concilio Pisano utriusque Pontificia dignitas adempta esset;
& ipsi exauctorati Pontifices, & ipsorum sequaces negabant id
jure factum esse, nec ullam Concilio in Vicarios Christi potestatem
fuisse; ergo credebant, ne Schismatis quidem tempore, nec in du-
bios Pontifices quidquam Concilio licere; & videri potest Ray-
naldus ad annum 1409. Altera sententia fuit, nullum Ponti-
ficem ne Schismatis quidem tempore deponi posse, nisi ob solum
hæresis crimen; fuit hujus sententiæ Concilium Pisanum, quod
NON

(a) S. Antonin. T. 3. Chron. Tit. 22. §. 3.

non prius Benedictum & Gregorium damnare voluit, quàm ut accusatos, convictosque, ut Patres credebant, hæreticæ pravitatis, quod supra demonstravimus, & habent acta Pisani Concilij à Notarijs ipsius Synodi conscripta, ubi inter alia : (a) *Omnes Magistri in Theologia, tam Episcopi, quàm Abbates, & Generales ordinum Mendicantium anno 1429. die 28. Maji ad requisitionem sacri Collegij Cardinalium congregati sunt in sacristia Fratrum Minorum, ut deliberarent de his duobus articulis: an duo de Papatu contententes essent Schismatici & hæretici reputandi, & dato sic, utrum sub titulo hæresis sint ab universali Ecclesia & Papatus regimine ejiciendi. Ad has quaestiones habita ad invicem pluries maturâ deliberatione concorditer & unanimiter responsum fuit, prædictos hæreticos censeri, & ut tales per sententiam declarari ac deponi posse. Patet ergo, ne Patres quidem Pisanos ausos esse in Pontificem pronuntiare, nisi hæresis manifestum, quod pluribus supra ostensum. Tertia sententia fuit Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis, qui Pontificem tempore Schismatis subjacere Concilio credidit, ab eoque judicari deponique posse credebatur; & hanc suam sententiam scriptis commendavit, porrexitque Patribus, quorum plerisque probata est; & hæc causa fuit, ut Concilium huic sententiæ examinandæ minùs laboraret, utpotè jam passim notæ, acceptæque. Quarta sententia fuit Cardinalis Zabarellæ, admittentis quidem posse tempore Schismatis novum eligi Pontificem; sed negantis ante factam electionem de Reformatione in Capite & membris agendum esse: ut enim nulla pejor Deformatio, quàm Schisma, ita nihil prius emendari oportere; & ided articulus de Reformatione in primo Decreto sessionis quartæ omisus fuit; id quòque eleganter expresserunt quatuor Nationes in protestatione post trigessimam octavam Sessionem, ubi inter alia: *Si Reformatio, inquit, facienda est de Deformatis, quæ major est, aut esse potest in Corpore deformitas, quàm carere capite, & esse acephalum? illa igitur prior, tanquam magis necessaria debet esse Reformatio, quæ corpus ipsum ad Caput reformet. Et infra: Duplex secundùm sacros Doctores est Unio Ecclesiæ, una membrorum ad invicem, quæ jam creditur esse facta: altera membrorum ad Caput, ut constituatur corpus integrum & perfectum, & ista non est facta; igitur primo loco fienda. Patet ergo sententiam eorum, qui docebant tempore Schismatis de Pontificis electione,**

non

(a) Acta Concilij Pisani à Notarijs ipsius conscripta in duobus MM.SS. Codicibus.

non de morum Reformatione agi oportere, celebrem fuisse, & in Synodo frequentem, imò potiorem. Quinta denique sententia fuit Joannis Gersonis, (a) qui Pontifices non solum durante Schismate, sed semper & absolute, omnique tempore Concilio subesse voluit, ab eoque posse judicari; in hunc sensum decreta Sessionis quintæ Gerson intellexit, eoque progressus est, ut scriberet, à vero & indubitato Pontifice ad Concilium appellari posse, & Martino id neganti Tractatum illum opposuerit, cui titulus: *An & quomodo appellare liceat.* Huic sententiæ Gersonis nunquam Concilium acquievit, & ideò Decretis quartæ & quintæ Sessionis semper illa verba apposuit: *In his, quæ pertinent ad extirpationem dicti Schismatis, & pro extirpatione dicti Schismatis.* Quibus verbis ostendit Concilium, se cum Gersone non sentire, qui absolutam subjectionem volebat; cum Patres de limitata solum, & in casu excepto intelligi vellent, hoc est, tempore Schismatis.

III. Sed jam perge, & alia testimonia percurramus, quæ defectum examinis & necessariæ deliberationis circa quartæ, & quintæ Sessionum Decreta ostendant. *Secundò.* Martinus V. ut habetur *sess. 45.* in Confirmatione Concilij profiteretur: *Se omnia & singula determinata, conclusa & decreta in Materijs fidei per Concilium Constantiense conciliariter tenere velle; ipsaque sic conciliariter facta approbare & ratificare, & non aliter, nec alio modo.* Supponit ergo Martinus, fuisse in Synodo Constantiensi aliqua conciliariter facta, & hæc confirmat: alia verò non conciliariter, hoc est, sine examine & deliberatione, nec votis & sententijs in Conventu dictis, & hæc confirmare renuit: non verò apparet, quæ Decreta sint minùs conciliariter facta, quam quartæ, quintæque sessionum; nec putes hanc esse opinionem aut conjecturam domi meæ natam, audi testimonium Jacobi Spondani Galli, & Apamiensis Episcopi, qui Manuscriptos codices Regiæ, sanctique Victoris Bibliothecarum egregiè pervolvit, ejusque de Synodo Constantiensi historiam, pulcherrimam Spondani operum Maimburgus pronuntiat; is verò ad annum 1418. ita scribit: *Putamus Nuntiorum Polonia petitionem de industria Martini nuntii ad ultimam sessionem reservatam, ut eâ occasione significaret, quæ Concilij decreta*

(a) Johannes Gerson in serm. Domin. 2. post Epiphan. & serm. pro Viaggio Regis Romanor.

ereta ipse auctoritate Apostolica ac supremâ probaret, que verò non; ne si antea quidquam de ijs agere voluisset, murmur aliquod, tumultumque in Patribus excitaret ob ea, que ambigüe decreta fuissent de auctoritate Concilij supra Pontificem, quas absolute ut sonare videntur sumptas, nullo modo Martinus agnoscere, aut probare voluit, utpotè contrarias existimatas, & praxi antiquioris Ecclesie, & collata Petro, ejusque successoribus potestati, ipsique demum nature rei, quâ caput debet membris regere, non regi à membris. Hæc Spondanus. Tertio. Gesta Concilij Constantiensis ad sess. 7. (b) Penè in omnibus Concilij decretis factum est, ut Cardinalibus ita arcto & brevi tempore ostensa sint decreta à Nationibus conclusa, ut non fuerit in eorum potestate sufficienter deliberare, imò in magnum contemptum habiti sunt, & finaliter petiverunt, quòd cum essent in Concilio quatuor Nationes, una Angliæ, in qua non erant 20. capita, de quibus tres solum Prelati: & Cardinales essent 16. & alij futuri, de quibus plures Magni & insignes Doctores propter dignitatem Collegij haberent dignitatem tantam & auctoritatem, sicut natio Anglicana. Quòd fuit recusatum & dictum, ut venirent ad Nationes. Quarto. eadem Manuscripta testantur, noluisse Cardinales ad sessionem quartam venire: Eò quòd super illis non fuerint habita, nec sufficienter petita deliberationes eorum. Quinto. Abbas Panormitanus in sententia finali, & Regestum Constantiensis Concilij in tribus Manuscriptis Codicibus memorant, Nationes in quarta sessione fuisse à Cardinalibus monitas: Ut suspenderent ad tempus materias illas, que habent magnas difficultates, & maturam exigunt deliberationem. Sexto. Petrus Alliacensis apud Gallos celeberrimus in Tractatu de Ecclesie & Cardinalium auctoritate, quem ante adventum scripsit Legatorum Regis Castellæ, parte 1. cap. 4. aliqua dubia proponit, ut super illis Concilium deliberaret, ne illius acta in futurum in dubium vocarentur: Nam apud nonnullos, inquit, magnam perplexitatem inducunt. Primum dubium: an quatuor nationes in hoc sacro Concilio sic distinctè excluso Cardinalium Collegio faciant Concilium generale, cum sint plura Concilia particularia valde inæqualia, & improporcionabiliter divisa. (Nam Anglicana Natio complectebatur vota solum 20. Gallicana supra 300. & tamen Gallicanæ voces non vincebant, ne habebantur pro pluribus, cum quælibet Natio pro uno tantum voto computaretur) & ad partem deliberantia, que deliberatio, exclusâ deliberatione dicti Collegij Cardinalium, & non factâ in communi sessione collatione votorum, videtur multis non esse censenda deliberatio Concilij

○ concilia-

(a) Gesta Conc. Constant. in 4. MM. Codd. apud Schelstrat. fol. 104.

conciliariter facta. Secundum dubium, an dictæ Nationes, quæ sunt multa Collegia particularia, quæ multis videntur contra vel præter consuetudinem antiquam sacrorum Conciliorum instituta, licet ex rationabili causa & sub debitis circumstantiis ita restitui potuerint, & habuerint à Jure Divino vel humano auctoritatem privandi Romanam Ecclesiam & sacrum Collegium (quod est antiquum Collegium, & in antiquo jure, & in sacris generalibus Concilijs, & in sanctorum Patrum Decretis fundatum) privandi inquam jure suo, habendi scilicet votum in sacro Concilio, & Summum Pontificem eligendi. Vides jam tunc temporis de validitate Decretorum Constantiensium ob defectum deliberationis Conciliaris dubitarum esse; sicque antiquam hanc querelam non novam esse, nec à nobis repertam. Septimo. Quatuor Manuscripti Codices, quibus acta Concilij continentur: Die 2. Maji Anno 1415. Cardinales licet præsentis in sessione fuerunt, nunquam illam formam viderant; eodem enim die circa horam septimam de mane fuit data eis copia ad deliberandum super illa, cum jam plures prælati sederent, & immineret relatio novorum fienda Regi & Deputatis Nationum in sacristia, in qua relatione præsentis fuere, nec poterant illam formam videre, cum statim facta relatione perventum est ad sessionem, quæ jam peracta erat, & ita penè in omnibus Decretis Concilij factum est, Cardinalibus ita arcto & brevi tempore ostensa sunt Decreta jam conclusa à Nationibus, ut non fuerit in eorum potestate super illis sufficienter deliberare, imò fuerunt in magnum contemptum habiti, &c. Octavo. Die Septembris 11. Anno 1417. in protestatione, quam tres Nationes, & Collegium Cardinalium contra Germanicam Nationem ediderunt, hæc inter alia leguntur: Clerus & populus nonnullorum Regnorum & Provinciarum nondum clarè & solidè huic sacro Concilio adhaerunt, necnon etiam quorundam, qui eidem Concilio adhaerunt propter rumores discordiarum, & quasi impressionum, quas in eodem Concilio fieri audiunt, fides jam de eodem Concilio dicitur vacillare. Et infra: His diebus magnus terror & turbatio dicebatur esse in Concilio, fama enim erat communis, & multi scientes de Consilij Regis dixerunt amici, quod Rex proponebat & deliberaverat aliquando capere omnes Cardinales, & postea restrinxit ad sex; sed Cardinales & alij, de quorum proscriptione dicebatur, constantes steterunt, nec omiserunt loqui, & prosequi, quæ eis justa videbantur. Causa autem odij Regis in eos dicebatur, quod Rex volebat habere Papam ad voluntatem suam, & illis stantibus non poterat. Ex his omnibus evidenter colligitur, multa in Concilio contigisse, ob quæ merito dubitari

(a) Schellstr. fol. 257.

dubitari poterat, imò dubitatum est, an illius Decreta, præsertim, quæ Pontificiam dignitatem spectabant, consultò, deliberatè, & Conciliariter concepta essent, quippe cùm Patrum vota aut metu Regionum, aut exclusione Cardinalium, aut nimia festinatione, quæ examen prævertebat, redderentur suspecta; idque in particulari de Decretis quartæ & quintæ sessionum intelligendum esse ex allatis testimonijs constat, illa enim apertè ostendunt, Capitula illa post tumultum de celebranda sessione quarta in unica Congregatione Nationum conclusa fuisse, & totam deliberationem unius diei tempore absolutam, neque deliberationem illam fuisse communem & Conciliarem, ut oportuit; cùm nec in sessione habita fuerit, nec audita Cardinalium vota.

IV. Age jam verò, & Decreta illarum sessionum ne quidem à Concilio, Oecumenico & Generali facta esse, nec pro talibus à viris Gravissimis & doctissimis habita, demonstramus.

Primò. Certum est Johannem XXIII. nunquam ijs Decretis assensum esse. Is enim in litteris ad Ducem Biturigæ (a) datis causas exponit, cur Decretis Constantiensibus deferre non posset: *Quòd, videlicet, licet in Concilijs generalibus non debeat fieri Nationum differentia, sed omnes & singulos sententiam suam dicere publicè oporteat, ut unius instructione informetur alij; hoc tamen Constantiæ non fuerit permixtum, quin imò statutum, quamlibet Nationem unam tantummodo vocem, sive suffragium habituram, etiam si in Natione Gallica essent ducentæ voces notabiles, & in Italica totidem: & de Anglicana essent tantum tres Prælati ibi personaliter comparentes, ac Cæteri Clerici novem numero. Deinde quòd cùm in Concilijs Generalibus secundum statuta Canonum vis suffragij non competat nisi Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, quorum suffragia requirenda sunt in sessionibus publicis, & non privatis consilijs; nihilominus quicunque ad hujusmodi consilia fuissent admissi, nullo discrimine personarum habito, omnium suffragia, etiam Laicorum, subtractis Prælatorum suffragijs recepta sint, & licet in Concilijs suffragia debeant esse libera, nihilominus multe extiterunt cavillationes, & subornationes per minas, & terrores ab Imperatore procedentes. Hæc Johannis querela nullam fidem, aut parvam mereretur, nisi omnino ijs consentanea esset, quæ ipsidem penè verbis à Spondano, à Cardinali Alliaccensi, ab Actis*

O 2

Concilij

(a) Johannis XXIII. in epist. ad Duc. Bitur. in Sorbona publicè lecta, & in duobus MM. SS. Codd. Biblioth. S. Victor. asservata.

Concilij in 4. manuscriptis Codicibus, & denique à tribus Nationibus, & Cardinalium Collegio in Protestatione recensentur, quorum testimonia supra produximus, ut adeò dubitari non possit, vera esse, quæ Johannes commemorat, quæque Eugenij IV. testimonio indubitata redduntur, is enim in sua Apologia: (a) *Contra Decreta de auctoritate Conciliorum nonnulli reclamaverunt graviter, qui strepente multitudi- ne superati (sicut his novissimis temporibus, quibus carnales exuberant passiones, factum esse manifestum est) audiri nequiverunt.* Non ergo pro Decretis Concilij Oecumenici habita sunt, aut haberi potuere, quæ contra Conciliorum Oecumenicorum normam facta sunt, hoc est, quæ metu extorta, quæ non conciliariter, nec auditis, sed exclusis, quorum intererat, admissis verò, qui admitti non debebant, nec servatâ votorum pluralitate, decreta sunt. Idque egregio confirmatur exemplo, verbisque Caroli VII. Regis Galliarum; qui cùm à Deputatis Concilij Constantiensis audivisset sententiam à Patribus in Johannem XXIII. latam; non tantùm eam impro- bavit, negavitque id Synodo licuisse, sed etiam ipsos Deputatos amarè oburgans: *Ecquis, inquit, eam vobis licentiam dedit; ut audertis in Pontificem Romanum manus injicere, ei que dignitatem ac insulas adimere, quod nuper Constantia fecistis? Postquam ergo eò audacia pervenistis, quid aliud superest vobis, quam ut pari facinore Regi Regisque Principibus coronam & imperium involetis? sed enim ne id vobis procedat, maturè preveniam.* Hæc Maimburgus totidem ferè verbis, quæ ex Gallico reddidi, adjun- gitque: (b) *Jam ab annis nongentis Ecclesia Gallicana hanc sententiam fuisse, ut videlicet excepto hæresis casu, à nullo hominum, nulloque Concilio, sed à solo Deo judicari Pontifex Romanus, deponique possit.* Hæc Maimburgus sui, sua- rumque opinionum, quas alibi docuit, in gratiam Regis Gallie oblitus; adeò videlicet illum Reges demerendi impetus cœpit, ut jam amicus Pontifici, jam hostis appereat, utcùnque Regi placuerit; sed de hoc aliàs. Palàm igitur hoc exemplo fit, Regi Gallie Re- gioque senatui Decreta quartæ & quintæ sessionum nunquam probata fuisse, adeoque aut non habuisse Concilium pro Oecume- nico, legitimoque, aut arbitratos esse, nullam Concilio in Papam esse potestatem.

Secundò

(a) Eugenius IV. in Apolog. contra Basil. (b) Maimb. Grand. Schism. d' Occid. lib. 5. fol. 307. V. Spond. ad Annum 1415. n. 12. & ibi Bzou.

Secundò. In Regeſto Concilij Conſtantiensis, quod duobus Manuscriptis continetur, hæc leguntur: Die 6. Aprilis Anno 1415. Cum per Dominos Cardinales & Nationes altercatum eſſet ſuper correctione & emendatione Capitulorum in præcedenti ſeſſione (quarta) ſtatutorum, tandem ordinatum & concluſum eſt, quòd ſupradicta Capitula modo inſcripto corrigentur, &c. præmiſſa per Dominos Cardinales & Oratores Regis Francia proteſtatione ſecretâ in Camera Paramentorum Palatij Conſtantiensis ſecretè factâ, quòd propter ſcandalum evitandum ad ſeſſionem ibant, non animo conſentiendi hiſ, quæ audierant in ea ſtatuì debere, &c. Cenſuerunt ergo Cardinales, Gallicique Oratores, quo tempore ſeſſiones quarta & quinta agebantur, aut Concilium non fuiſſe Oecumenicum, aut nullâ poteſtate in Pontifices præditum; alioquin qui poterant Decretis Concilij haud annuere, quòd Oecumenicum & legitimum crederent? imò niſi annuiſſent, pro Schiſmaticis habendi erant, nec tamen habiti ſunt.

Tertiò. Cardinalis Turrecremata in lib. de Eccleſia: Nullus, inquit, dubitat, quòd aſſerere, quòd ſola obedientia Joannis faceret Concilium Univerſale, Univerſalem Eccleſiam repreſentans, eſſet temerarium ac ſcandalofum alijs duabus Obedientijs. Omnes ergo Epifcopi, Cardinales, Doctores, omnèſque Univerſitates, Scotiae, Luſitaniae, Caſtellae, Navarrae, Arragoniae, totiùſque Hiſpaniae, Bearniae quòque, Sardiniae, Corſicæ, Majoricæ, Bavariæ, Flaminiae, celebrèſque Wormatiensis, Spireniſis, & Werdenſis Epifcopatus, qui Gregorio & Benedicto adhærebant, Concilium Conſtantiense, quo tempore duæ ſeſſiones quarta & quinta agebantur, pro Oecumenico & Univerſali non habuerunt; nec propterea ab ullo mortalium pro Schiſmaticis aut hæreticis habiti ſunt; non ergo certa & indubitata ea Decreta dici poterant, quæ à tam multis & celeberrimis Eccleſijs, pro irritis, nulliſque habebantur, illæſa & inſviolatâ conſcientiâ.

Quarì. Eugenius IV. Pontifex Maximus in Apologia contra Baſileenſes: Non dixit Obedientia Gregorij, non Benedicti, quæ Chriſtianiſtatis pars non modica fuit, ante tempus Conventionis plenarium fuiſſe Concilium, nec priùs aſtitata, quaſi Synodi Generalis plenariâ auctoritate ſuſcepit; itaque oportuit ipſis convenientibus primò ab Obedientia Gregorij, deinde ab Obedientia Benedicti novum Concilium convocari, hincque Univerſâ Eccleſiâ concurrente plenaria Synodi rem & nomen accepit. Quod ergo ante illum articulum

ipsis à Patribus ibi confidentibus actum est, Universa Ecclesia non debet adscribi, sed eis tantum qui ibidem confidebant, & unius tantum Obedientia Synodum faciebant. Fuit ergo Eugenij, omniumque, qui Eugenio adhærebant, hoc est, totius Orbis Christiani sententia (paucis exceptis, qui Basileæ tumultuabantur) Constantiense Concilium, cum illæ duæ sessiones peragebantur, non fuisse Oecumenicum, sed particulare tantum, unius videlicet Obedientia Johannis XXIII.

Quintò. Idem Cardinalis Turrecremata lib. 2. de Ecclesia cap. 99. Neque ipsa integra Joannis XXIII. Obedientia consensus; quoniam plures Patres doctissimi illius Obedientia illis non præstiterunt consensum, aut assensum suum. Plures ergo & doctissimi viri, etiam ex Johannis Obedientia credebant, se Decretis illis haud illigari, sed posse obtineri, & consequenter non fuisse eo tempore Concilium Oecumenicum, aut saltem suâ potestate abusum; aut qui dici potuit Concilium Universale, cui deerant tot suffragia, aut contempta videlicet, aut contraria, aut non audita? Idem Turrecremata, qui Concilio Constantiensi interfuit: Congregatio, inquit, Constantia celebrata tria tempora habuit: primum fuit, in quo sola Obedientia Joannis præfati Constantia convenerat. Secundum tempus fuit, in quo Angelus Corrarus, vocatus in Obedientia sua Gregorius XII. juri suo cedens præfata Congregationi, sub certis modo & forma se conjunxit. Tertium tempus est, in quo Reges & Principes ac Prælati Obedientes Petro de Luna, Benedicto XIII. vocato in Obedientia sua, per suos Oratores novâ factâ convocatione Concilij se unierunt præfata Congregationi ad pacem dandam Ecclesie, & fuimus nos præfentes, tunc in Minoribus constituti; pro quo solo tempore convenientibus omnibus simul tribus Obedientiis fuit certum dicere, quòd Universalis Ecclesia fuit repræsentativè congregata Constantia. Hæc Turrecremata, cui utpote præfenti, rerumque omnium conscio, quæ Constantia agebantur, & doctrinâ ac pietate præstanti, nec partibus addicito, meritò fidem adhibeas.

Sextò. Sessione decimâ quartâ Concilij Constantiensis leguntur Bullæ Gregorij certis conditionibus Papatui renuntiantis, in quarum prima Arimini data tertio Idus Maij Anno 1414. Concedit suis Legatis Congregationem Constantiensem, in quantum per serenitatem Regiam, & non per Balhasarem se nuncupari facientem Joannem Papam XXIII. vocatam vice suâ ad prædictorum effectum convocandi & auctorizandi in Generale Concilium, remotâ tamen omnimodo Balhasaris præfidentia, & præfentia.

fenti à ab ijsdem. Hanc Gregorij Bullam, quâ Concilium ante Sessionem decimam quartam aperte Oecumenicum negabatur, non solum actis suis Synodus Constantiensis inferuit; sed etiam ex consensu quatuor Nationum, omniumque Patrum Archiepiscopus Mediolanensis tabulas legit, quibus dicebatur: *Quod Concilium memoratum dictam convocationem, auctorisationem, & confirmationem, in quantum ad eundem Gregorium pertinet, & attinet, eis admittit, Collegium ipsius D. Gregorij nuncupati, alteri Collegio videlicet olim Johannis Pape, & è converso, unita omnino decrevit, & Notarij rogati de pramissis non faciant mentionem in instrumentis suis de Papa vel Sede Apostolica, sed de Sigismundo Romanorum Rege usque ad sessionem nomine dicti Gregorij faciendam.* Et sess. 20. non prius Obedientia Benedicti se Patribus Constantiensibus adjunxit, quàm ut iterum Concilium convocaretur, perinde ac si hactenus legitime convocatum non esset, neque Oecumenicum fuisset: ut Congregatio titulo abstineret Concilij Oecumenici. Et sexaginta litteræ ad Regem Arragoniæ Ferdinandum missæ sunt, nullâ Concilij Generalis inscriptione; quæ omnia à Patribus Concilij acceptata, confirmata & jurata sunt, ut videre est in Actis vigesimæ sessionis, & in duobus Codicibus Manuscriptis Regestum Concilij continentibus. Agnoscebant ergo Patres Constantienses, antequam Obedientiæ Gregorij & Benedicti sese adungerent reliquis, nondum satis constare de auctoritate Concilij, & an esset Oecumenicum; si enim constabat Oecumenicum esse, cur novam Concilij convocationem, cur Decreta priora in dubium revocari permittebant, abstinebantque titulo Oecumenicæ Synodi, toties in prioribus sessionibus usurpato? Nec dici potest id Patres tolerasse studio pacis: nec enim hanc tantum causam fuisse; sed eam præcipuè, quod reverà à magna Christiani Orbis parte, imò etiam à quàm plurimis in ipsâ Synodo, negaretur Oecumenica & legitima esse (alioquin nunquam pacem tam carè indignisque conditionibus emerent, & Decreta prioribus sancita sessionibus permetterent aut everti, aut in dubium revocari) id quod ex Turrecremata, Petro Alliacensi, Eugenio IV. alijsque supra ostendimus. Et idè Arragonensis Regis Legati protestati sunt: (a) *Quod quidem vellem se unire Concilio, non tamen reputare esse Generale Concilium, neque agi de rebus Generalis Concilij, donec venirent Legati Regis Castelle.* Septimò.

(a) Ex 4. Codd. MM. SS. apud Schelstr. in differt. Antwerp. fol. 52. *

Septimo. Sessione 14. sub gravissimis pœnis decretum de non eligendo sine assensu Concilij Romano Pontifice hisce verbis editum fuerat: *Sacrosancta Generalis Constantiensis Synodus pronuntiat, statuit, & ordinat ad electionem futuri Pontificis nullatenus procedatur, sine deliberatione & consensu hujus sacri Concilij Generalis, & si quid fieret, sit ipso facto auctoritate hujus Concilij irritum & inane; nullusque electum contra hoc Decretum in Papam recipiat sub pœna maledictionis aeternae, & faustoria schismatis. &c.* Quid poterat à Concilio enixius decerni, & gravioribus pœnis armari? & tamen, quia Benedicti XIII. Obedientia necdum accesserat, ideoque ea Synodus pro Oecumenica non habebatur, adeo huic Decreto delatum non est, ut & Collegium Cardinalium, & Natio Hispanica, imò & tres reliquæ Nationes protestatae sint illud Decretum, aut nullum esse, aut saltem dubia auctoritatis; & ex eo sequi, Ecclesiam DEI sine capite & lege futuram esse, sed nec illi Hispanicam Nationem ligari potuisse, quamvis validum foret: nec haberi posse indubitatum Concilium deficiente capite, ad quod pertinet Concilium convocare. Hæc omnia palam faciunt, non fuisse eo tempore Concilium Constantiense pro certo ac Oecumenico habitum; qui enim certum & Oecumenicum, quod negant esse indubitatum, quod Acephalum dicunt, cujus Decreta in valida, nec illis Nationem Hispanicam ligari volunt, imò turbari Ecclesiam, reddique ex legem? hæc planè non sunt notæ legitimæ & Oecumenicæ Synodi: & hæc si objici poterant sessioni decimæ quartæ, quanto magis sessioni quartæ & quintæ, tot alias, ut supra ostendi, defectibus laborantibus, & in quibus Obedientia Gregorij nondum se reliquo agmini sociaverat? In quatuor Codicibus Manuscriptis (quos Schelstrate edidit in Tractatu Romæ edito) ad Annū 1417. hæc habentur: *His diebus post ejectionem Petri de Luna infra decem dies Cardinales attendentes constitutionem: ubi majus. de elect. in 6. alia jura, & etiam Decretis Concilij super electione Papa hæc vice, pro qua Concilium decrevit electionem fiendam modo & formâ, loco, tempore & materiâ per Concilium ordinandis, & pœnas terribiles imponit contrarium facientibus, suspenditque omnia jura positiva in illa materia; licet dicti Cardinales non reputarent dicta Decreta valere propter opiniones Doctorum ita dicentium; noluerunt tamen illa publicè impugnare &c.* Propter quod fecerunt Protestationes in omnibus Nationibus, mitiores, quam potuerunt, per quas posset jus eorum conservari, & nullus de Concilio, de-

berit

beret exasperari &c. Et infra : Dicitam protestationem fecerunt in qualibet Natione per duos Cardinales & Procuratorem, cum duobus Notarijs Nationis Italiae &c. Et in alia Protestatione ejusdem sacri Collegij, ac trium Nationum, videlicet, Italicae, Hispanicae, Gallicaeque. Audite haec omnes, auribus percipite, qui habitatis Orbem &c. Vos praefatam Venerabilem Nationem pluries & instanter exhortati sunt & requisierunt, quatenus attentis periculis Ecclesiae sanctae DEI velletis per vos vel Deputatos vestros cum dictis tribus Nationibus Italiae, Galliae, Hispaniae & Cardinales super modo futurae electionis maxime de electoribus tractare, agere & convenire, quod facere, & super hoc respondere jam multis diebus distulistis, & non fecistis, licet asseratis sine vestro consensu & ordinatione Concilij, super modo, forma, loco, tempore & materia non posse ad dictam electionem procedi, obstantibus quibusdam hujus Concilij decretis, quibus nos, Hispanica Natio, etiam si alia valida existerent, non ligamur. Et infra : Cum si ante dictam provisionem Ecclesiae de Pastore, aut saltem modo electionis illius, suppositis hujus Concilij Decretis, quibus omnia jura circa electionem Pontificis edita, dicuntur esse suspensa; ex quo sequetur Ecclesiam DEI esse sine capite, & sine lege & ordinatione electionis Pontificis, hoc Concilium casu aliquo dissolvetur, prout jam multae causae timentur imminere; Ecclesia in periculo remaneret, quia vix aut nunquam summus Pontifex indubitatus posset haberi, quia vix congregaretur indubitatum Concilium deficiente capite, ad quod pertinet convocare &c.

Ord. Sessione 39. praescribitur forma Professionis fidei, quam Romani Pontifices legitime electi facere tenentur in haec verba : In nomine sanctae & individuae Trinitatis, &c. Anno a Nativitate Domini, &c. ego electus in Papam Omnipotenti Deo corde & ore profiteor, me firmiter credere & tenere sanctam fidem Catholicam, secundum traditionem Apostolorum, Generalium Conciliorum & aliorum Sanctorum Patrum; maxime autem Sanctorum octo Conciliorum, videlicet primi Nicaeni, secundi Constantinopolitani, tertij Ephesini, quarti Chalcedonensis, quinti & sexti Constantinopolitanorum, septimi Nicaeni, octavi quoque Constantinopolitani; nec non Lateranensis, Lugdunensis, & Viennensis Generalium etiam Conciliorum, & illam fidem usque ad unum apicem immutillatam servare: ritum quoque pariter Sacramentorum Ecclesiae. Ecce! enumerat Constantiensis Synodus omnia Generalia Concilia, in quorum fidem jurare oporteat Romanum Pontificem; cur rogo ex omnibus Generalibus Concilijs solum Constantiense omittitur, quod tamen adeo expressè ac nominatim sessionibus

quartâ & quintâ decretis fidei à se statuendis Romanum Pontificem illigaverat; id quod à nullo hactenus Conciliorum legimus factum; cur ergo solum Constantiense omittitur, quo nullum magis exprimi debebat? nimirum agnoscebant Patres Constantiense Concilium, utpote à Romano Pontifice necdum approbatum, dici non posse Oecumenicum, & idèd nec inter Oecumenica reponi debere.

Nonò. Petrus Alliensis, qui tractatum de Ecclesie, & Cardinalium auctoritate anno 1417. scripsit, hoc est, quando sessio vigesima sexta jam Constantiæ habita, & Obedientia Benedicti se Concilio adjunxerat; parte illius libri primâ cap. 4. dubia aliqua proponit: *Que*, dicebat, *apud nonnullos magnam inducere perplexitatem. Primò an quatuor Nationes in hoc sacro Concilio, excluso Cardinalium Collegio faciant Concilium generale, cum sint plura Concilia particularia valdè inæqualia & impropotionaliter divisa, & ad partem deliberantia, quæ deliberatio, exclusâ deliberatione Collegij, & non factâ in communi sessione collatione votorum, videtur multum esse censenda deliberatio Concilij conciliariter facta. Secundò an dictæ Nationes, quæ sunt nova Collegia particularia, habuerint à jure Divino vel humano auctoritatem privandi Romanam Ecclesiam, & sacrum Collegium jure suo, habendi sicut vocem in sacro Concilio, & Summum Pontificem eligendi. Hæc Cameracensis Cardinalis, qui postea adjungit: Hæc à se proponi eo consilio, ut super his Concilium deliberet, ne in futurum ejus acta improbentur. Ergo jam tunc temporis apud multos Concilij auctoritas vacillabat, eratque incertum, an pro Oecumenico, legitimòque habendum esset, idque præter alias rationes, etiam ex his capitibus: tum, quòd non tam unum Corpus unumque Concilium, quàm quatuor & diversæ Congregationes viderentur, ex quatuor Nationibus constare, idque contra instituta morèdque omnium retrò Conciliorum: tum, quia numerus votorum non rectè iniri poterat, adèd ut minor pars æquivaleret multò & decuplo majori, quod apertè libertati, exemplo omnium Conciliorum, sacris Canonibus, rectæque rationi adversabatur; Natio enim Anglicana viginti tantum votis constabat; Gallicana & Italica singulæ trecentis, & tamen Anglicanæ vota æquivalabant votis Gallicanæ, cum quælibet Natio pro uno tantum voto computaretur: tum, quia deliberatio, & examen rerum, quæ definiri oportebat, non instituebatur Conciliariter,*

hoc

hoc est, in communi omnium Nationum, sed in privatis singulorum Conventibus, quæ dici Conciliaris deliberatio non poterat: quemadmodum in causis, quæ capitulariter decerni deberent, non haberetur pro resolutione Capitulari, quæ in particularibus Capitularium congressibus caperetur, ut si in electione Episcopi v. g. Constantiensis, Suevi, Helveti, Franconesque Canonici in privatis, distinctisque Cœtibus, non in communi conventu sua vota conferrent, præsertim si Helvetorum vota, quæ tantum sunt tria, æquivalere Suevorum deberent, quæ sunt supra viginti: tum denique, quia Cardinales ad deliberandum non admittebantur; quamvis enim non oporteat ad Concilium Occumenicum omnes Episcopos convenire, oportet tamen nullum excludi, accedere & interesse volentem. Si ergo ex his capitibus, teste Alliacensi Cardinali, auctoritas Concilij dubia reddebatur; quanto id magis de sessionibus quarta & quinta dicendum, cui una tantum Obedientia intererat, & in quam, præter istos, tot alij defectus incurrebant supra notati?

V. Si ergo auctoritas Concilij Constantiensis, priusquam à Martino V. confirmaretur, Regi, Senatui & Oratoribus Gallicis, imò Cardinalibus, ipsisque Concilij Patribus aut dubia, aut nulla habebatur, idque in victis testimonijs à nobis probatum est; quid tandem præsidij ab hujus Concilij decretis sperare Maimburgus potest? at celavit hæc omnia, ut cum vincere non posset, saltem abderet veritatem. Sed præter jam dicta aliud adhuc superest, quod illis Decretis validè objiciamus. Nego enim illa in senatu, quem Adversarij volunt, & præsertim Maimburgus, Martino V. confirmata esse. Nam *Primò* Martinus V. *sessione 45.* his verbis Concilij Decreta confirmat. *Omnia & singula determinata, & conclusa, decreta in materia fidei per præsens sacrum Generale Concilium Constantiense conciliariter tenere ac inviolabiliter observare volebat, & nunquam contravenire quoquo modo; ipsaque sic conciliariter facta approbat & ratificat, & non aliter, nec alio modo.* Hic Martinus ea solum Concilij acta confirmat, quæ ad materiam fidei pertinent, & Conciliariter facta, non verò approbat, quæ ad fidem non spectant, nec sunt conciliariter facta: at talia sunt Decreta quartæ & quintæ sessionum: hæc enim propositio: *Concilium est supra Papam certum & indubitatum,* non est de fide, alioquin

totus ferè Catholicus Orbis, si paucos in Gallia excipias, omnesque Doctores, & Universitates, ipsique Romani Pontifices, qui contrarium scriptis & exemplis docuere, hæretici vocandi essent; quod utriusque ne Maimburgus quidem dixerit, quamvis alioquin lati thoracis homo. Ea insuper Decreta non fuisse Conciliariter edita, jam supra magni testimonij & præsertim Spondani Episcopi Galli & Maimburgo commendatissimi ostendimus; si ergo nec ad fidem spectant, nec Conciliariter sunt facta; sequitur à Martino V. confirmata non esse. Ubi sciendum est triplicis generis causas in Concilio agitas esse, videlicet, fidei, Unionis, & Reformationis. Per materias fidei ea in Concilio intelligebantur, quæ contra hæreticos decernebant: & ubi de materijs fidei mentio aliqua in Concilio incidit, semper agitur de ijs, quæ contra Johannem Wicleffum, Johannem Huf, & Hieronymum Pragensem decreta sunt, nec aliam fidei materiam in hoc Concilio reperies; id quod specialiter in sessione quinta observare licet, cum enim legerentur primum & secundum Decretum (in quibus de auctoritate Concilij statuitur) præmittitur: *Eueruntque pronuntiatum articulo & constitutiones sequentes per Reverendum D. Andream electum Poznaniensem.* Ubi vides eos articulos, qui de Pontificis & Concilij auctoritate agunt, *Constitutiones*, non Dogmata vocari: hisce verò Constitutionibus perlectis, ubi ad Dogmata perventum, hæc præmittuntur: *Quibus per actis supradictis Reverendus Pater D. Andreas electus Poznanienfis in materia fidei, & super materia Johannis Huf quadam avisamenta perlegebat.* Ubi vides Concilium expressè distinguere inter Constitutiones & materias fidei: & prima illa Decreta, quibus auctoritas Concilij sancitur, ad Constitutiones, non ad Dogmata referri.

Secundò. Tantum abest, Martinum Decreta quartæ & quintæ sessionum in sensu Adversariorum confirmare voluisse, ut ea potius vidente, audiente, nec repugnante Concilio obliterata & delera voluerit. Cum enim Poloniae Legatus Archi-Episcopus Gnesnensis cum eoque Polonica Natio libellum quemdam famosum contra Uladislaum Regem, totamque Polonicam Nationem à Joanne Falckenberg editum, damnari hæresis cuperent, imò & à toto Concilio ac Cardinalium Collegio damnatus esset; solus obstitit Martinus, negavitque hanc fidei causam esse; cum ergo

ergo Poloni ad futurum Concilium à Martino appelláſſent, Martinus Constitutionem edidit anno primo ſui Pontificatús 6. Idus Martij, in qua : *Nulli, inquit, fas eſt, à ſupremo Jdice, videlicet, Apoſtolica Sede ſeu Romano Pontifice JESU Chriſti Vicario in terris appellare, aut illius judicium in cauſis fidei (quæ tanquam majores ad ipſius & Sedem Apoſtolicam deferenda ſunt) declinare.* Meminit hujus Constitutionis Joannes Gerſon in Dialoگو Apologetico pro Concilio Constantienſi, & occasione illius Tractatum ſcribit, *quomodo & an liceat à Summo Pontifice appellare?* Quid poterat Martinus expreſſius dicere contra Concilij auctoritatem, duobus illis Decretis ex ſenſu Adverſariorum ſancitam? Volunt enim illis definitum eſſe, Pontificem ſubjacere Concilio; at Martinus ſuperiorem ſe proſtetur. Volunt in cauſis fidei Pontificem Concilij Decretis alligatum eſſe; at Pontifex in cauſis fidei dijudicandis ſupremam auctoritatem non Concilio, ſed ſibi competere pronuntiat; nec altius eſſe tribunal, ad quod liceat appellare. Quis jam credat Martinum ea Concilij Decreta confirmáſſe, quæ tam ſeriò, tamque enixè confutat? idque vidente, audiente, nec repugnante Concilio? Unde facile intelligas, quàm inanis ſit Maimburgi cavillatio, aſſerentis id tantùm Martinum prohibere: *Ne ad Episcopos particulariter ſumptos appellari à Pontifice poſſit, non verò prohibere appellationes ad Episcopos in Concilio congregatos.* Vana reſponſio, nec cauſæ, nec veritati idonea. Martinus enim hanc ſuam de non appellando Constitutionem Appellationi oppoſuit à Polonis factæ; Poloni verò non ad Episcopos particulariter ſumptos, ſed ad futurum Concilium appellaverant; hoc ergo, non illud Martinus prohibuit; & ideò Johannes Gerſon Tractatu, *quomodo & an liceat à Pontifice appellare*, omnem lapidem movet, ut oſtendat, eam Martini Constitutionem Decretis Synodalibus repugnare: at non repugnáſſet Decretis Synodalibus, ſi tantùm prohiberet Appellationem ad particulares Episcopos, & Romanum Pontificem ſingulis tantùm Episcopis præponeret; id enim Decreta Concilij nunquam ſtatu-erant, quæ, cùm Pontificis auctoritatem circumscribunt, non eam ſingulis aut particularibus Episcopis, ſed toti Concilio ſubmittunt.

Tertiò. Id quoque Henricus Spondanus Episcopus Apamiensis ingenuè

ingenuè professus est, cui utpote Gallo, notæque pietatis, ac Regibus charo, nec partibus addicto, fidem meritò adhibeas. Is verò ita loquitur: (a) *Ea quæ ambigè decreta fuissent de auctoritate Concilij supra Pontificem, & de potestate reformandi Ecclesiam tam in capite, quam in membris, absolute ut sonare videntur, sumpta, nullo modo Martinus agnoscere, aut approbare voluit, utpotè contraria existimata, & praxi antiquioris Ecclesie, & collata à Christo Domino potestati, ipsique demum nature rei, quæ caput debet membra regere, non regi à membris.*

VI. Superest jam, ut ad plenam dictorum Synodi Decretorum intelligentiam ostendamus, Patrum Constantiensium mentem sensumque non fuisse, ut Concilij auctoritatem in omnicausu, omnique tempore Pontificiæ prælatam vellent, sed solum in casu Schismatis, dubiique Pontificis. Id verum, certumque esse ex sequentibus disce.

Nam primò quories Concilium de hac re loquitur, semper verba & Decreta sua ad casum Schismatis restringit. Sessione 2. *Hæc sancta Synodus Constantiensis faciens pro extirpatione presentis Schismatis & nomine ac Reformatione Ecclesie DEI in capite & in membris fienda.* Et infra: *Et primò quòd ipsa Synodus in spiritu sancto congregata generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem representans potestatem à Christo immediate habet, cui quilibet, cujuscunque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur, in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti Schismatis &c.* Et sessione 5. Et primò declarat, quòd ipsa immediate à Christo potestatem habet, cui quilibet, etiamsi Papalis dignitatis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti Schismatis, Reformationem Ecclesie in capite & in membris. Et infra: *Item declarat, quòd quicumque cujuscunque dignitatis, etiam Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus hujus sacrosanctæ Synodi, aut cujuscunque alterius Concilij Generalis legitime congregati super præmissis, aut ad ea pertinentibus, factis, vel faciendis &c.* Observa sermonem semper esse de solo Concilio Constantiensi, quando nullus certus Pontifex, & obstinatum Schisma Ecclesiam dividebat; cum verò de alijs Concilijs Generalibus mentio fit; adjicitur continuò clausula restrictiva, videlicet: *Super præmissis seu ad ea pertinentibus.* Quæ verò sint illa præmissa, constat ex antecedentibus verbis: *Hæc sancta Synodus Constantiensis Generale Concilium*

(a) Spondan. ad Annum 1414.

cilium faciens pro extirpatione ipsius Schismatis, & Unione, & Reformatione Ecclesie DEI in capite & in membris &c. Nulla ergo Concilij in Pontifices potestas, nisi cum agitur de extirpando Schismate, & Unione Ecclesie, & consequenter in casu dubij Pontificis. Si enim absolute, omnique casu Concilium sit supra Pontificem, cur rogo Patres Constantienses toties, tamque repetitis verbis hanc potestatem restringunt, aut ad Concilium Constantiense, aut ad casum presentis Schismatis? quis nescit clausulas præsertim sæpius repetitas operari aliquid debere? & inclusionem unius esse exclusionem alterius? Planè & Concilij, & veritati injuriam fecere, si quod semper Concilij licet, ipsi ad unum casum restrinxerint; quemadmodum si petenti facultatem comedendi carnes in Quadragesima, Pontifex aut Episcopus rescribat: *Concedo, ut possis ter in hebdomade carnibus vesci*; nemo dubitabit pluries non licere; cur enim si semper licere voluissent, ad ternas vices licentiam restringerent?

Secundo. Cum Synodus Constantiensis deponere Joannem vellet, nec tamen id satis auderet defectu potestatis; primò illum Schismatis & hæresis accusarunt, quòd scirent hoc uno delicto moveri Pontifices posse, idque sacris Canonibus sancitum: sed cum id non procederet, nec probari posset monente in publico congressu Cardinale S. Marci: (a) *Ut attenderet Concilium, quod Procurator Concilij proposuerat crimen hæresis, & sautoriam Schismatis, & alia quædam non constare.* Patres omisâ hæresis accusatione, collatisque cum Sigismundo Imperatore sacroque Collegio consilij, censuerunt illud superesse, ut Pontifex in sententiam à Concilio ferendam consentiret, ac spontè renuntiaret: delectique quatuor Cardinales, inter quos Florentinus & Cameracensis, qui hæc legatione fungerentur, moverentque Joannem: & latâ jam in eum sententiâ, repetita Legatio est, annuitque Joannes utrique Legationi. Audi acta ipsius Concilij. *Statim Rex, Cardinales & Deputati, pluresque tradaverunt materiam, quòd Papa consentiret sententiæ suæ depositionis, & ex abundanti renuntiaret.* Et infra: *Ordinatum fuit, quòd Cardinales de Ursinis, Cameracensis, de Thalamo, Salutiaryum, & Florentinus irent ad Papam.* Et infra post latam sententiam. (b) *Concilium misit ad Papam, &*
Papa

(a) Gesta Constantiens. ex 4. MM. SS. Codd. (b) Ex ipsèdem MM. SS. 14. Maij 1415.

Papa sententia acquievit, & ex abundantia renuntiavit in forma predictæ schedule. Forma autem à Concilio missa inter alia hæc habet: Porro si omnino dictum sacrum Concilium vult procedere ad sententiam, scilicet amovendo eundem Dominum Joannem à Papatu, affirmat, quod non vult reclamare, nec reclamabit contra dictam sententiam proferendam, quin imò ipsam ratificabit & approbabit, & eandem acceptabit, & in quantum in se fuit, confirmabit &c. Et in instrumento Concordatorum Narbonæ inter Regem Romanorum & Legatos Concilij ex una, & Obedientiam Benedicti ex altera partibus. Dominus, qui Gregorius XII. in sua Obedientia dicebatur, sua sponte cessit. Sic & Dominus, qui Joannes XXIII. dicebatur, facere voluit atque fecit. Ubi vides Joannis exautorationem non sententiæ Concilij tribui, sed spontaneæ cessionis. Si ergo Concilium Constantiense ne dubium quidem Pontificem, & tempore schismatis est ausum, nisi prius hæresis notatum, & hæc non probatâ, nisi consentientem, approbantem, suoque jure ac sponte cedentem, quantum minus id auderent in Pontificem verum & legitimum, & planè indubium? quantumque minus decreta quartæ & quintæ sessionum extendi ad hunc vellent?

*Tertio. Post trium Obedientiarum Unionem, novum inter Patres certamen est ortum, quo diù multumque collisi sunt. Volebant tres Nationes, Hispanica videlicet, Italica & Gallica, & cum istis Cardinalium Collegium, non prius de Reformatione sermonem fieri, quam certus & indubius Pontifex eligeretur; quippe præcipuam, maximèque necessariam Reformationis partem esse, si schisma tolleretur: tolli autem non posse, nisi certo Pontifice, hunc ergo ante omnia eligendum. At Natio Germanica præmitti volebat morum reformationem in capite & in membris, quâ etiam Pontifex teneretur. Post longum certamen vicit trium Nationum sententia, cessitque Germanica, eâ tamen conditione: Ut à Concilio expediretur asscuratio, & cautio per Decretum irritans, quod post electionem Papa fieret Reformatio ante Coronationem Papa, & administrationem aliquam. Quâ postulatione Germanorum auditâ, perpensaque subjungunt acta: (a) *Postea fuerunt factæ diversæ formæ, ac tandem fuit**

(a) Ex 4. MM. SS. Codd. apud Schelstr. fol. 268. & habetur in protestatione trium Nationum contra Nationem Germanicam ante sessionem 49. die II. Septemb. Anno 1417.

dictum, quod Papa electus ligari non potest. Hic apertè suam mentem Concilium explicavit: nam sessione quartâ & quintâ agebatur de Pontifice dubio; quippe tres Pontifices Ecclesiam in diversas partes scindebant, & idèò definitum est, subiacere Pontifices Conciliorum Decretis. Ubi autem de vero & indubitato Pontifice actum, ingenue Patres profitentur: *Electum Pontificem ligari non posse.* Quid clarius dici poterat? si enim crederent Concilij potestatem etiam in verum & indubitatum Pontificem extendi, idque Decretis quartæ & quintæ sessionum sancitum esse, quid morantur, renuuntque electo Pontifici leges statuere, & nisi observet, pœnas, Depositionem ac alia minari, quæ in tres dubios Pontifices experti sunt? *Non potest,* inquit, *electus Pontifex ligari.* At Johannem, Benedictum, Gregorium ligastis, cur non etiam Martinum? Quia videlicet de hoc constabat legitimum esse, non verò de illis. Patet ergo ex hoc Nationum responso, quæ fuerit Concilij mens de potestate in verum, certumque Pontificem, eum videlicet Concilio ligari non posse. Et idèò in Decreto sessionis 45. à quinque Nationibus Conciliariter edito statuitur: *Ut Romanus Pontifex proximè assumendus Ecclesiam in Capite & membris reformet.* Nulla tamen, ut sessionibus quartâ & quintâ, addita pœna; quia videlicet sentiebant, verum certumque Pontificem nullius Concilij potestati coactivæ subiacere, & idèò contrâ quàm Germanica Natio postulaverat, nullam pœnam nolenti præfigunt. Quod etiam discrimen inter certum, dubiumque Pontificem egregiè observatum est sessione 39. ubi enim sermo est de vero & indubitato Pontifice, statuitur quidem, ut singulis quinquennijs Concilium indicat, nullâ tamen omittentis pœnâ: sequenti verò paragrapho, ubi agitur de tempore & casu Schismatis, dubioque Pontifice, gravissimæ pœnæ, ac etiam privatio Papatûs negligenti statuuntur; certum igitur est, nec negari potest, aliam fuisse Concilij mentem circa dubium, aliam circa certum indubitatumque Pontificem.


Quartò. Sessione ultimâ in Bulla Martini sacro approbante Concilio edita contra hæreses Wicleffi & Hussij expressè dicitur: *Papam Canonicè electum supremam in Ecclesia DEI habere potestatem.* Atqui non haberet supremam, si potestati Concilij subiaceret; nemo enim dixerit, in Republica Romana, aut alia Democratica supre-

mam

nam potestatem esse penes Consulem aut Ducem, sed penes Comitum Popularem.

Quid. Eandem Pontificis auctoritatem manifestè ostendit Constitutio Martini V. prohibentis libellum Johannis à Falckenberg hæresis damnari (quem tamen totum Concilium damnaverat) & pronuntiantis, non posse à Pontifice ad Concilium appellari, supremumque in causis fidei tribunal esse penes Pontificem, non Concilium, idque audiente, nec contradicente Concilio, de quo supra.

Et hæc sunt, quæ circa quartam & quintam sessiones mœnenda censui, quæque apud doctissimum Schelstratum fufius deducta reperies; ego enim, ut candidè veritatem profitear, neminem credo magis de veritate in hac causa meritum esse; quippe nullâ re magis quam auctoritate Concilij Constantiensis gloriabantur Gallici Antistites, & tamen hoc illis Palladium Schelstratus eripuit, quod nemo ante illum, ut acta Concilij Constantiensis magna ex parte, Basileensium artibus sepulta, in lucem erumperent, & veritati testimonium ferrent. Superest nunc, ut quæ illis Maimburgus objecit, diluamus.



§. V.

Respondetur ad reliquas Maimburgi Objectiones.

SUMMARI A.

1. Respondetur ad ea, quæ Maimburgus Codicibus Manuscriptis opponit.
2. Et ad Gersonis Auctoritatem.
3. Et ad Concilij Pisani.
4. Et ad argumentum ex titulo Occumenicè Concilij sumptum.

Opponit

I.

Pponit 1. (a) Manuscriptos Codices, ex quibus multa haecenus testimonia deducta sunt; non posse actis Concilij Constantiensis jam editis, & ducentorum annorum possessione probatis, quidquam praëjudicare; quidquid ergo ex illis productum est, infirmæ fidei, ac vacillantis esse.

Resp. Nihil apud eruditos est novi, si ex antiquis ac indubitatis Manuscriptis multa suppleantur, aut suppressa, aut inobservata, & typis omissa; hinc est, ut in omnibus Bibliothecis tanta sit cura, & pretium manuscriptis ac ineditis libris; & in Gallia praëferim, nihil ferè Eruditis solemnius, quàm ut hujusmodi documentis veritatem illustrent; hinc tot illa spicilegia, mantissæ, fragmenta, Observationes, ex quibus Sirmundus, Balluzius, Labbeus, Duchesne, Monachi S. Dionysij, alijque suos libros, novásque Sanctorum Patrum, & Conciliorum editiones instruxerunt. Ipse Maimburgus hujusmodi antiquitates quoties ostentat? & praëferim libro secundo magni Schismatis Occidentis, ubi cum in favorem Clementis VII. per 4. integra folia pretium cujusdam manuscripti jactasset, suamque in eo consequendo felicitatem; non contentus ejus manuscripti auctoritate Clementis electionem Urbani praëferre, ac insuper Monachum S. Dionysij, Juvenalem de Ursinis, ipsúmque Spondanum praëstantissimos scriptores erroris ac negligentiae damnasse, adjungit ista pompæ ac magnificentiae plena: *se quidem eloquentiâ stylique elegantia superari ab alijs potuisse, fidem verò, ac diligentiam quod attinet, nemini palmam concedere.* Si ergo Maimburgus tantum manuscriptis suis tribuit, ut eorum auctoritate & Pontifici tiaram, & praëclarissimis scriptoribus fidem adimat, se verò illis omnibus praëponat; quid tandem offendere illum possit; si nos non uno tamen, sed pluribus, sibi que planè conformibus manuscriptis nixi, nullo aut nostro lucro, aut aliorum damno, ea tantum suppleamus, quæ Constantiensi Concilio desunt?

(a) Maimb. Traittè histor. ch. 22. fol. 197.

desunt? aut qui Codices majorem fidem merentur, quam quibus stylus, character, antiquitas, ac locus ipse fidem conciliat? constat enim omnia Conciliorum acta Romam mitri solita, quod, ut alia omittam, de Nicæna prima & octava Synodis ex (a) actis ipsorum Conciliorum, & Anastasio certum est. Et planè in nullo Concilio major necessitas recurrendi ad Autographa Codicèsq; manuscriptorum, ut in Constantiensi; hoc enim jussu Patrum Basileensium typis vulgari cœptum est; quippe cum auctoritatem suam apud pleròsq; contemptui esse viderent, ut eam casui vicinam fulcerent, ac Cathedram Petri, quam suis non poterant, alienis viribus concuterent; Synodi Constantiensis typis evulgandæ consilium cœpere. Delecti ad hoc opus Cardinales duo, toridèmque Episcopi & Doctores, & Archidiaconus Zagabriensis, qui Synodi Decreta ex actis Constantiensibus extraherent. Id ab illis perfectum Anno 1442. & Codex, quem conscripserant, bullâ plumbeâ, filoq; serico firmatus, & à Deputatis subscriptus. Ex hoc aliud exemplar Johannes Hober ex Inderdorff manu propriâ descripsit, quod cum Originali convenire testatus est Matthias Strinbach; & anno 1499. hoc ipsum exemplar typis mandatum est in Imperiali oppido Hagenow, & deinceps aliæ editiones omnes, quæ cum auctores habuerint ipsos Basileenses, Pontifici Romano hostes implacatos, pronum est videre, quanta necessitas fuerit manuscriptos Codices consulendi, credendiq; libenter ab ijs ea omnia omissa, quæ Pontifici favere possent. Nec obstat, quod de longa possessione memorat Maimburgus; nullo enim tempore veritati præscribitur; alioquin Americam, Brasiliâmq; negabimus repertas esse, quia olim invisas, occultasque: quod si tempus nihil obfuit quærentibus terram, cur obstitit quærentibus veritatem? & idèò eleganter Tertullianus lib. de præscriptionibus: *Sempiterna quadam res est veritas, cui nemo præscribere potest; non spatium temporum, non patrocini. Personarum, non privilegia Nationum.* Et S. Augustinus in Psalm. 61. *Licet veritas latere potuerit, vinci non potuit.*

II. *Opponit 2.* (b) Auctoritatem Joannis Gersonis doctrinâ & pietate celebris, qui in sermone coram Concilij Patribus habito

secundâ

(a) V. Acta Concil. Nicæn. lib. 3. & Turrian. proëm. in Canon. Syn. Nicæn. & Anastas. præfat. ad 8. Synod. (b) Maimb. Traittè histor. ch. 23. fol. 203.

Secundâ post Epiphaniâ Dominicâ hæc habet: *Huic veritati* (loquitur de Decretis quartæ & quintæ Sessionum) *fundata supra petram sacra scriptura* quisquis à proposito detrahit; *cadit in hæresin jam damnatam*, quam nullus unquam Theologus, maximè Parisiensis & sanctus asseruit. *Vidi nuper sanctum Thomam & Bonaventuram; hic reliquorum libros non habeo; dant supremam & plenam summo Pontifici potestatem Ecclesiasticam: rectè proculdubio, sed hoc faciunt in comparatione ad fideles singulos, & Ecclesias particulares.* Dum etenim comparatio faciendâ fuisset ad auctoritatem Ecclesiæ synodali-ter congregatæ, *subiecissent Papam, & usum potestatis suæ eidem Ecclesiæ tanquam Matri suæ &c.* Constat ergo testimonio Joannis Gersonis, Concilij mentem & sententiam fuisse etiam legitimum & indubitatum Pontificem (talis enim esse debet, cui singuli fideles, & particulares Ecclesiæ obedire tenentur) Concilio Oecumenico subiacere.

Resp. Multa responderi possunt ad Gersonis auctoritatem; nam primò quæro ex Maimburgo, an Gersonem talem esse putet, cui fides necessariò adhiberi debeat? & an ipse paratus quoque sit eam fidem illi præstare, quam à nobis exigit? si negat, frustra nobis eam auctoritatem objectat, quam ipse contemnit, rejicitque. Si affirmat, ergo concedere debet, esse in Pontifice Romano indirectam in Reges & Regna potestatem, posse etiam Principes Ecclesiasticos & sæculares privatâ auctoritate occidi; utrumque enim Gersonius (a) docuit, & tamen Maimburgus utrumque negat, non ergo auctoritas Gersonis tanta est, quam recusare non liceat, etiam exemplo Maimburgi; & planè Gersonem nimio Zelo, quo sui temporis abusus & flagitia persequeretur, extra justos, rectique limites abreptum esse, ne illi quidem negant, qui ejus patrocinium maximè susceperunt. Nihil ergo auctoritas Gersonis vincit, præsertim tot alijs auctoritatibus oppressa.

Secundò. Idem Gerson hæresis damnat contrarium opinantes; id verò manifestè falsum est etiam confessione adversariorum: alioquin omnis Hispania, Italia, Polonia, Germania ac tota ferè Europa hæresis damnanda; hæretici etiam tot illi sancti & Doctores, & integra Regna, quæ Gregorio, & Benedicto ad-
 Q3 hære-

(a) Gerson parte 4. serm. de pace & Unit. Græcor. confid. 5. & par. 2. in Regul. Moral. de præcept. Decalogi, & opusc. contra Adulator. confid. 7.

hærebat, quique Decreta illarum sessionum nunquam pro legitimis agnovere. Qui ergo fidem habeamus erudito quidem pioque Doctore, sed nimio, cæcòque impetu toties labenti?

Tertiò. Eiusdem farinae est, quod subjungit idem Gerson, sententiam nostram, quæ Concilium Papæ submittit, à nullo Theologorum & sanctorum traditam esse. An ergo in Obedientia Gregorij & Benedicti, quæ magnam Christiani Orbis partem complectebatur, nulli sancti, & Theologi, qui vel hæc ipsa ratione Constantiensis Concilij Decreta respuebant, quòd dicerent, nihil Concilij in Pontifices licere? & tamen dubij illi erant, incertique, quid de indubijs, certisque Pontificibus dicerent? An vero in Nicæna, Ephesina, Chalcedonensi, Lateranensi, Lugdunensi Synodis nulli sancti, nulli Theologi erant? & tamen isti omnes pro summis Pontificibus pronuntiârunt, ut alibi (a) ostendimus. An verò Bonifacius, Gelasius, Symmachus, Nicolaus, Cyrillus, Damasus, Athanasius, Isidorus, Bernardus, aliique, qui Pontifices Concilio prætulere, sancti non erant?

Quarò. Fatetur Gerson in allegatis verbis, à se in præfenti controversia nullum alium Auctorem præter Thomam, & Bonaventuram lectum esse, defectu librorum, qui ad manus non erant; & verò nullum esse à Gersone lectum infallibili argumento est, quòd nullum neque ex Patribus, neque ex Concilij testimonium citat; nec verò in re tam magni momenti, tamque à multis etiam in Concilio impugnata citare omisisset, si quis Gersoni faveret, quod etiam observabis circa quartæ & quintæ Sessionum Decreta: quæ ergo major negligentia fingi poruit, quàm in re tanta, intèrque summa Ecclesiæ capita vertente, ex solo impetu privati affectus, nullo teste, nullâ lege, nullòque antiquitatis, Patrumque examine festinare sententiam, & Pontificem eâ ratione damnare, quâ nec privatam hominem licuisset? Nullum, inquit, legi præter Bonaventuram, & Thomam: & tamen assero sententiam contrariam, quæ Pontifici favet, à nullo theologo, nullòque sancto doceri, imò hæreticam esse. Ignosce mihi Gerson, non sunt hæc verba Parisiensis togæ, tantòque digna Doctore, humani aliquid & passus, & quod ratio non debuit, impetus edixit. Si nullum præter Thomam & Bonaventuram

(a) V. Reg. Sacerd. à fol. 305. & à fol. 392.

turam legisti, unde ergo tibi constat, sententiam, quæ Pontificem Concilij præfert, à nullo Theologo, nulloque sancto doceri? num ergo sciri potest, quid Theologi, quid Sancti doceant, si eorum libros non legeris? quo ergo fundamento asseris, quod ignoras? doces, quod non didicisti? si ergo legisses, quæ Gelasius scripserat, videlicet: (a) *Sancta memoria Flavianum Pontificum Congregatione damnatum pari tenore, quoniam Sedes Apostolica non consensit, absolvi, ac pro veritate fidei, ut Synodus Chalcedonensis fieret, sola decrevit. Et Nicolaus primus: Non ergo dicatis, in causa pietatis non egisse vos Romana Ecclesia, quæ collecta Concilia sua auctoritate firmat, & sua moderatione custodit. Unde quadam eorum, quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdidit &c. Et Bonifacius: Nunquam etenim licuit, de eo rursus, quod semel statutum est ab Apostolica Sede, tractari. Et Cælestinum in Commonitorio seu Instructione Legatis ad Concilium Ephesinum dato: Instructiones, quæ vobis traditæ sunt, hoc loquuntur, ut Conventui interesse debeatis. Si ad disceptationem ventum fuerit, vos de eorum sententijs judicare debeatis, non subire examen &c. Hæc inquam & alia multa, quæ alibi notavimus, si Gerson legisset, nunquam utique scriberet, sententiam, quæ Romanum Pontificem Concilij præfert, à nullo Theologorum, & Sanctorum traditam esse.*

Quintò. Sed multò gravius hallucinatur Gerson, minorique veniã, quando allegans sanctorum Thomæ & Bonaventuræ auctoritatem, dicit eos loqui de Summo Pontifice cum Ecclesijs singulis & particularibus, non verò cum omnibus Episcopis in Synodo congregatis; Id verò tam aperte falsum est, ut oporteat nec eos quidem à Gersone lectos esse; aut si legit, aded fuisse averso, occupatòque animo in tunc temporis Pontifices, ut ne ad ea quidem, quæ legebat, animum adverteret. Audi utrùmque S. Doctorem. Sanctus ergo Thomas in 2. 2. q. 1. art. 10. in C. ita loquitur: Ad illius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt fidei; ut ea ab omnibus inconcusã fide teneantur: hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores & difficiliore Ecclesia quæstiones deferuntur; & hujus ratio est, quia una fides debet esse unius Ecclesiæ, quod servari non posset, nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur

(a) S. Gelasius epist. 13. Nicolaus primus epist. 8. S. Cælestinus in Commonitorio apud Balluzium ex Cod. Colbertino, & ex Cod. Romano apud Schelltr. in dissert. Romana fol. 57.

minetur per eum¹, qui toti Ecclesie præest. Et ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut & alia omnia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare Synodum &c. Et ad 2. Unde pertinet ad Summum Pontificem, cujus auctoritate Synodus congregatur, & ejus sententia confirmatur. Hic clarum est, sanctum Doctorem loqui non de Ecclesijs particularibus, sed de tota & Universalis Ecclesia, & etiam Universalibus Synodis, tum quia expressè loquitur de Synodis, earumque Confirmationibus: tum etiam, quia loquitur de articulis Fidei, deque Symbolis fidei, quæ ut patet, non tantum ad singulas & particulares Ecclesias, sed etiam & maxime ad Synodos Universales pertinent: tum denique, quia dicit, *finalem determinationem fidei ad Romanum Pontificem, eumque solum pertinere*; at utrumque falsum est, si Concilium sit supra Pontificem; tunc enim finalis determinatio ad Concilium pertinebit. Clara est ergo sententia S. Thomæ. Idem q. 10. de Potent. art. 4. ad 13. Ita etiam Romanus Pontifex hoc sua auctoritate potest (hoc est, interpretari Symbolum) cujus auctoritate sola Synodus congregari potest, & à quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum à Synodo appellatur, quæ omnia patent ex Gestis Calcedonen- sis Synodi. Hic S. Thomas Summum Pontificem expressè cum Synodo Oecumenica comparat, ut patet exemplo Synodi Chalcedonen- sis, quam allegat, & tandem eundem Pontificem Synodo majorem facit, dum scribit: *A Concilio ad Pontificem appellari*. Et in Opusculo 19. contra impugnantes Religionem: *Sancti Patres in Concilijs congregati, nihil statuere possunt, nisi auctoritate Summi Pontificis interveniente, sine qua nec Concilia celebrari possunt*. Si Concilia nihil statuere possunt sine auctoritate Summi Pontificis, ergo certum est, majorem esse Summi Pontificis, quam Conciliorum auctoritatem; major enim potest statuere sine consensu minoris, Princeps videlicet sine consensu Senatûs, Episcopus sine consensu Vicarij, aut Synodi Diocesanæ. Ex quibus luce meridianâ clarius est S. Thomam non solum Ecclesijs particularibus, sed etiam Synodis Universalibus Summi Pontificis auctoritatem præferre. Ex quibus placeat Lectori duo observare. Primum, quantum noceat cognoscendæ veritati, animum asserre alienis opinionibus jam semel imbutum, occupatumque. Nemo negaverit fuisse Gersonem selectæ doctrinæ & pietatis, & tamen quia jam semel opinionem imbiberat Ponti-

Pontifici adversam; idque ut persuasum omnino habeo, Zelo Ecclesiam adjuvandi ambitione trium Pontificum miserè collisam; adeò illius animum hæc tinctura corrumpit, ut cum Divos Thomam & Bonaventuram ante oculos haberet, legeretque, non tamen eos intellexerit, imò in sensus detorserit eorum menti adeò contrarios, ut nemo non errorem observet: ergo ut natura omni colore pupillam nudavit, quò omnes colores caperet; ita seponenda est omnis opinio veritatem captanti. *Secundò.* Nec minus quòque observatione dignum est, quàm parvâ curâ, studioque hæc quæstio in Synodo Constantiensi agitata fuerit; nec tam ad momenta veritatis, quàm ex animorum affectu, impulsuque decisa: si enim Gerson flos Gallicæ Sapientiæ, & excujus ore Galli omnes pendebant, quique in Constantiensi Synodo omnem paginam implebat, si is, inquam, nullos alios præter Thomam & Bonaventuram in hac quæstione legerat, & istos tam male intellexit, ut ne quidem legisse videatur: quid rogo de alijs Patribus dices, minùs Gersone eruditus, minùs pijs, minùsque lectioni addictis? Unde semper magis magisque verum apparet, quod superius probaveram: videlicet, Decreta quartæ & quintæ sessionum sine examine & deliberatione sufficienti, actantæ materiæ pari fuisse in Concilio vulgata. S. Bonaventura suam mentem his verbis expressit: *Summus verò Pontifex, penès quem prima in terris residet auctoritas, non à Rege, non à Principe seculari, non ab homine judicatur, sed solius DEI reservatur arbitrio.* Si prima in terris auctoritas penès Summum Pontificem residet, ergo non penès Concilium: si à nullo hominum judicari potest, sed solius DEI reservatur arbitrio, ergo à Concilio non potest judicari, multòque minùs deponi, alioquin non solius DEI arbitrio reservaretur.

III. *Opponit 3.* (a) Hanc quæstionem de superioritate Concilij in Concilio Pisano, ubi primum agitata est, fuisse decisam; in Concilio verò Constantiensi adeò maturè exactèque discussam, ut nulla magis, quippe roto ferè Concilij tempore in Congressibus ac Disputationibus in Concilio habitis tam ante, quàm post Gersonis Orationem, de nulla ferè alia re, quàm de ista sermonem inter Patres fuisse, actandem omnium Nationum consensu pro Concilio

R in

(a) Maimb. cit. ch. 23. fol. 216.

in quarta & quinta sessionibus sententiam latam esse. Nam quòd aliqui Patrum ante Decreta ac præsertim Cardinales obluçati, ac protestati fuerint; nihil obstare valori Decretorum, quæ tandem omnium conspiratione acceptata sunt, Spiritu sancto opinionum pugnas pacante; alioquin nullas Pontificum electiones, nulla Concilia, ac præsertim Tridentinum sustineri posse, in quibus ante Decreta, communemque electionem tot contrarijs votis atque sententijs certatum à Patribus est: quis nescit ex qualitaturn pugna tandem corpora formari? sic veritatem ex pugna opinionum. Hæc Maimburgus.

Resp. Supponit Maimburgus quæstionem, de qua agimus, fuisse in Pisana Synodo pro Concilio decisam, ac contrarium jam supra ostendimus; Concilium enim Pisanum, ac Bononiensis & Parisiensis Universitates sententiam suam expressè ad casum Schismatis, dubiosque tunc temporis Pontifices restrinxere, imò nec in eos, quamvis dubios pronuntiare ausa sunt, nisi ob causam hæresis & Schismatis, quâ uterque Pontificum notabatur; nihil ergo in materia, de qua agimus, Pisanum Concilium deciderit. Imò ut supra ostendi, potius à nobis Concilium facit. Multò minoris pretij sunt, quæ de Synodo Constantiensi dicuntur. In illa fuisse inter privatos Cœtus & tumultuariè, ut fieri solet in scholis Philosophicis, disputatum, verum est: sed fuisse maturam & Synodalem discussionem ac examen institutum, hoc est, dictis in publicis sessionibus sententijs, auditis pacatè singulorum rationibus, examinatis Patrum ac Conciliorum in hac materia doctrinis, exemplisque ac antiquæ Ecclesiæ traditione; hoc est quod negamus in Synodo Constantiensi, ac quarta & quinta sessionibus factum; quod apertè ex eo ostenditur, quòd in omnibus tam editis, quam scriptis hujus Concilij actis, nec unica quidem ratio, aut Patrum auctoritas in medium producta fuerit, quâ Concilij potestas supra Pontificem probaretur, multò minùs auditæ in contrarium rationes; quæ potuit igitur Synodalis Deliberatio vocari, quæ nec in sessionibus facta, nec ullis rationibus in medium pro una, alterave parte productis. Deliberare enim non est aliquid asserere, aut negare, sed rationes utriusque partis expendere; idque exemplis ostenditur Conciliorum, quæ ipse Maimburgus producit,

ducit, Nicæni videlicet, & Tridentini. Quærebatur in Concilio Nicæno, an Filius Divinæ & æqualis naturæ cum Patre esset; hoc est, DEUS, an Creatura? hoc Arrius, illud Orthodoxi volebant; & planè res tam clarè in scripturis decisa fuerat, ut nullo examine, nullaque disceptatione opus videretur; & tamen non sufficit Patribus Nicænis in re tam clara, liquidaque id agere, quod Patribus Constantiensibus in re multò magis dubia, quæque majori indagine opus habebat; non sufficit inquam, non partibus, non testibus auditis, non libratis causæ momentis Decretum effundere Constantiensi simile: sed per moras, lentèque, & omnium sententijs, ac etiam quæ ab adversarijs proponerentur, auditis, tandem pronuntiatum est. Videantur acta Concilij Nicæni, patebitque quantum Patres vel in unius Philosophi, quem Arriani conducebant, argumentis dissolvendis curæ impenderint, nec priùs cessaverint, adductis varijs è scriptura, rerumque natura argumentis, quàm planè convicerint. In Nicæna secunda Synodo plus quàm ducenta sanctorum Patrum testimonia producta, quibus colendas esse Imagines probatum est. In Ephesina Synodo nullum ferè allegandis, expendendisq; Patrum testimonijs contra Nestorium finem invenies. Idem in secunda Constantinopolitana, & in Florentina Synodis factum. Idem quoque in Tridentina, quam tamen pro se allegat Maimburgus. In ea enim non solum capita fidei decernenda diligentissimè examinabantur; sed etiam in publicis sessionibus adeò patienter singulorum sententiæ ac momenta rationum audita, ut subinde unius ex patribus voces ad duas & supra horas proferrentur; ipsæque etiam sessiones & Decreta non semel cum ingenti temporis, sumptuumque impendio, dilata sunt, eâ tantum ratione, ut Lutheranis ad Concilium vocatis suorum dogmatum argumenta proferre liceret. Nihil verò simile ut dixi, in quarta & quinta sessionibus factum, in quibus idem deliberandi, judicandique momentum fuit. Verum quidem est, in omnibus Concilijs, antequam sententia à Patribus ferretur, pugnam aliquam & discordiam opinionum ac votorum fuisse (neque hoc in Constantiensi Concilio damnamus) at semel sententijs dictis, Decretisque ex plurium votis in Concilio sancitis omnes tandem acquiescebant, transibantque in plurium sententiam; quòd videlicet sci-

R 2

rent

rent hanc Concilij Oecumenicis deberi reverentiam; & qui hujusmodi decretis repugnarent, pro hæreticis habebantur. Aliter se res habuit in Decretis quartæ & quintæ sessionum, illis enim non à paucis tantum hominum, sed ab integris Regnis: nec solum antequam Decreta sancirentur, sed etiam posteaquam sancita sunt, vehementer repugnatum est, nec propterea pro hæreticis habiti, ut supra ostensum; id verò manifestum signum est, non fuisse Concilium eo tempore, quo hujusmodi Decreta confecta sunt, pro Oecumenico habitum.

IV. *Opponit 4.* (a) Ut Concilium aliquod dicatur Oecumenicum, non requiritur omnes Episcopos ei interesse; sufficit omnes invitari, omnibusque patere; alioquin nullum ferè Concilium Oecumenicum fuerit, ac præsertim Tridentinum, cui nulli ex Anglia, Scotia, Dania, Norwegia, Suecia, Ægypto, Græcia, aliisque Provincijs interfuere, quæ Romanum Pontificem haud agnoscunt; pari ergo ratione nihil obfuit Constantiensi Concilio eorum Antistitum absentia, qui Gregorio & Benedicto addicti, Joannem verum Pontificem respuebant; alioquin si istorum defectu Synodus Constantiensis Oecumenica non fuit, non ergo errores Hussij & Wicleffi pro hæreticis, damnatisque habendi sunt, quippe trium Obedientiarum Unione necdum sesuta, & incerto adhuc Pontifice. Sequetur etiam invalidam fuisse Joannis Depositionem, electionem Martini, ac omnium, qui Martino successere; id quod Cardinalis Julianus, cum Eugenij nomine Basileensi Concilio præfideret, eleganter notavit litteris ad Eugenium datis. Quod si dicas Joannem Depositioni consensisse; facile respondebo eum consensum fuisse gravissimo metu extortum, perpetui videlicet carceris, quem Joanni nullibi locorum tuto Martinus jam paraverat, quemque ille Martini pedibus affusus Florentiæ deprecatus est, idque Aretinus (b) rerum Italicarum scriptor expressè testatur: quæ potuit igitur Depositiõ valida dici, quam & injusta ac usurpata potestas, & metus tam gravis extorsit? Multò minùs Bellarmini responsio sustineri potest asserentis: *Non posse quidem Concilium sine Papa nova fidei dogmata definire, posse tamen tempore Schismatis judicare, quis verus sit*

(a) Maimb. cit. ch. 22. fol. 220. (b) Leonard. Aretin. in histor. rerum Italicarum.

ſit Papa. Primò enim quis nescit in primo Constantinopolitano Concilio sancitam, ac inter fidei dogmata contra hæresin Macedonianam relatam esse Spiritus Sancti Divinitatem, cui tamen Concilio nec immediatè Damatus, nec per Legatos præſedit? Sicutiam contra trium Capitulorum hæresin à quinta Synodo pronuntiatum est, non tantum Vigilio non consentiente, sed etiam repugnante. Secundò nunquam in Concilio Constantiensi dubitatum est Joannem esse verum, legitimumque Pontificem, non ergo dici potuit sententiam à Patribus non in certum ac indubium Pontificem, sed in dubium, & de quo non constabat, prolatam esse. Ac denique si quo tempore Synodus Constantiensis Joannem deposuit, Universalis & Oecumenica dici non poterat, quâ ergo potestate sententiam in eum dixit, cum omnium consensu id solum Oecumenico, non particulari Concilio liceat?

Resp. Primò. Verum est, ad Oecumenicum Concilium non requiri, ut omnes Episcopi Concilio intersint; neque ex hoc capite quartæ, quintæque Sessionum Decreta rejicimus, sed ex illo, quòd ut supra vidimus, ac teste Cardinali Alliacensi, prima & præcipua Senatûs Ecclesiastici pars, Cardinales videlicet, aut exclusi fuerint, aut quòd idem erat, capita rerum agendarum adeò occultata, ut deliberare illis non liceret. Deinde, quòd illi, qui Concilio non adfuerant, non solum non hæretici, aut *miseræ Christianitatis reliquæ* essent (ut quinque Regnorum populos Maimburgus pro solita modestia appellat) sed & Catholici & maximo numero, ac sapientiâ, imò sanctitate celebres; & tamen Concilium pro Oecumenico non haberent, nec ejus Decretis alligari se crederent, adeò ut Hispanica Natio alijs Nationibus ac Cardinalium Collegio approbantibus, protestata sit, se *Decretis Concilij, quæ ante Unionem Obedientiarum facta erant, non alligari*; idque ut dixi non solum tres aliæ Nationes non improbârunt, verum etiam positivè acceptârunt, suæque protestationi inseruerunt, quam ex Gestis Concilij fideliter conscriptis, & in quatuor Manuscriptis repertam Schelstratus (a) verbatim recitavit, nôsque supra libavimus. Ipsum quoque Concilium Gregorio, & Benedicto seu potiùs Benedicti Obedientiâ petentibus, titulo Oecumenici abstinuit, permisitque Concilium

R 3

(a) Schelstr. in Dissertat. Antwerp. fol. 6. & in Romana fol. 255.

cilium iterum indici, perinde ac si ante Unionem non legitime indictum, nec Oecumenicum fuerit, ex quibus omnibus, multisque alijs, & non ex sola Episcoporum absentia, collegimus, tempore quartæ & quintæ sessionum Concilium Constantiense Oecumenicum dici non potuisse, quæ uti patet de alijs Concilijs dici non possunt.

Secundò. Errores Hussij & Wicleffi, quod attinet, verum est, illos ante trium Obedientiarum Unionem damnatos hæresis esse; at non sequitur idè pro hæreticis non esse habendos; quamvis enim Concilium tunc Oecumenicum non fuerit, at postea jam Unione composita, Oecumenicum evasit, & Martinus V. Sessione quadagesimâ quintâ in Bulla confirmatoria Concilij omnes Wicleffi, & Hussij errores sigillatim recensens, eos *sacro approbante Concilio* condemnat, ac hæresis notat, adjungitque, *se omnia & singula determinata, conclusa, & Decreta in materijs fidei per Concilium Constantiense Conciliariter tenere velle, ipsaque sic conciliariter facta approbare, & ratificare.* Nihil ergo timendum, ne errores Wicleffi impune abeant, quippe à Concilio, cum jam Oecumenicum esset, & capiti Unitum, damnati; ac etiam ab ipso Martino Summo Pontifice, cujus vel sola auctoritas, etiam remoto Concilio rebus fidei decidendis sufficiens omnino est, ut supra ostensum.

Tertiò. Depositionem Joannis quod attinet, ea valida fuit: tum, quia non constabat esse verum, & indubitatum Pontificem, duobus alijs eandem dignitatem magno rationum ac Clientum numero sibi vendicantibus; tum etiam, quia Joannes consensit spontè liberèque; sciendum enim est, Joannem ter in sententiam Depositionis consensisse, videlicet die 24. Maij Anno 1415 in Oppido Cellæ, quando videlicet liber, omnique metu solutus Papatui renuntiavit, rogatusque totius Concilij nomine à quatuor Cardinalibus, de Urfinis, Cameracensi, de Thallanco, Sallutiarum, & Florentino sententiæ acquievit propediem ferendæ. Verba Joannis sunt. *Ego Joannes Papa XXIII. prædicta de mandato meo per alium scripta approbo, confirmo, ac spontè & liberè volo adimplere cum effectu.* Rursus die 29. Maij sess. 12. Lata est in Joannem sententia, qui acquievit, atque ex abundantia renuntiavit. Ita habent Gesta Constantiensis Concilij in quatuor Manuscriptis, & acta ejusdem

dem Concilij à quatuor Protonotarijs conscripta, ac etiam edita. Ac tandem cum metu perpetui carceris à Martino parati in Ligures aufugisset, liber, nullòque metu impulsus iterum renuntiavit, si Aretino credendum est, quem Maimburgus citat quidem, sed malà fide, ijs videlicet silentio præteritis, quæ nocere poterant malæ causæ. Sic enim Aretinus: *Dum apud Ligures esset & sui juris, sive conscientia ductus, sive quod desperabat aliquid proficere posse, sponte sua Florentiam venit, & sese pedibus Martini subiiciens, eum ut Pontificem verum, & unicum recognovit.* Idemque Aretinus Martinum alloquens: (a) *Joannes Pontifex, de cuius Depositione propter vim adhibitam multi dubitabant, securitate atque fiducia hujus loci Florentiam venit, tibi que se sponte sua subiecit, quo facto omnis est penitus scrupulus, ambiguitasque sublata, neque de vi ulla adhibita sollicitus esse quisquam potest, cum ipsius voluntaria in loco sibi tutissimo sit conspecta subjectio.* Audis Aretinum non semel tantum, sed sæpè contententem, Joannem sponte sua, cum esset sui juris, securitate atque fiducia Urbis florentina, nullà vi adhibitâ, sed in loco tutissimo voluntariâ subiectione Papatu cessisse. Quæ omnia efficaciter ostendunt, Joannis cessionem liberam, nullòque metu expressam fuisse; sed demus metum, quid inde sequitur? Invalidam fuisse Joannis cessionem? nullo pacto: Joannes enim tam ante, quam post Pontificatum sæpiùs promiserat, imò juramento se obstrinxerat, boni publici, Schismaticisque finiendi causâ Papatu abire, idque præstare tenebatur: metus ergò ei incussus, ut se juramento, promissisque absolveret, justus erat; at justo metu peracta omni jure subsistunt, quod legibus sæpè definitum est, & à Doctoribus communiter receptum: tantòque magis, quia Joannes dubius erat, non certus & indubitatus Pontifex; hic verò Concilio subjacet tanquam legitimo Magistratui, de quo in Jure Cæsareo l. 3. §. *sed vim ff. quod metus causa*, ita legimus: *Vim accipimus atrocem, & eam, quæ adversus bonos mores fiat; non eam, quam Magistratus intulit, scilicet jure licito, & jure honoris, quem sustinet.* Nihil ergo probant, quæ de metu Maimburgus memorat.

Quartò. Contendit Maimburgus, posse res fidei à Concilio sine consensu Pontificis definiri, sed nihil magis à vero, doctrinâque Patrum alienum dici potest; id alibi demonstravimus, estque expressa Nicolai primi sententia: (b) *Non, inquit, dicatis in causa pie-*


tatis

(a) Leonard. Aretin. in hist. sui temp. (b) Nicolaus I. epist. 8.

tatis non eguisse vos Romana Ecclesia, que collecta Concilia sua auctoritate firmat, & sua moderatione custodit. Unde quadam eorum, qui consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdidit. Taceo multa alia, quae alibi reperies: (a) nec obstant, quae de Concilio primo & quinto Constantinopolitano Maimburgus opponit: nam primum quod attinet, certum est auctoritate Damasi Pontificis convocatum, & ab eodem confirmatum esse, id enim ex gestis (b) Damasi, ejusdemque epistola apud Theodoretum, & libello Photij, ac etiam Divi Gregorij auctoritate clarius est, quam ut negari possit; quamvis nec alia confirmatione opus fuerat, cum idem Damasus Papa judicium Synodi Constantinopolitanae praeveniens, Sabellij, Macedonij, & Eunomij opiniones praedamnaverit, dirasque & anathemata in eorum haereses dixerit, ut habetur Tomo primo Conciliorum ante Synodum Constantinopolitanam: quid ergo confirmaret jam olim confirmata, imò Concilio praescripta? falsum igitur est, quod Maimburgus pro certo supponit, videlicet, Concilium Constantinopolitanum sine Pontificis Romani consensu dogmata fidei sanxisse. Sed illud aequè falsum, videlicet: *Haereses trium Capitularum non solum non assentiente, sed etiam invito Vigilio Pontifice à Synodo Constantinopolitana confixas esse.* At certum est, quaestionem de tribus capitulis citra fidem stersisse, nec eos, qui aut negabant, aut asserabant, haeresis notatos esse; id in historia Ecclesiastica tam certum est, ut persuaderi non possim ignorasse Maimburgum; qui enim tam communia & vulgata ignoraret, qui etiam arcana ostentat, alijque inaccessa? Ergo ut dixi causa trium capitularum testibus Gregorio, & Pelagio Pontificibus, imò toto ferè Occidente nihil ad fidem spectabat, quod alibi fuisse ostensum. Errores enim Theodori, Theodoret, Ibæque omnes Catholici detestabantur: is de Personis erat, an videlicet pro haereticis damnatisque habendi essent, quos Synodus Chalcedonensis absolverat, ut enim non continuò est pictor, qui pingit; cum saepè casu & ignorantia artis id fiat, ut in annulo Pyrrhi: ita non continuò haereticus, qui haeresin docuit. Audi S. Gregorium: (c) *De illa, inquit, synodo,*

(a) V. Regal. Sacerdot. lib. 2. (b) Gesta Damasi apud Baron. ad ann. 381. Theodoret. lib. 2. c. 22. Photius in libello de 7. Synod. S. Gregorius l. 6. epist. 125. (c) S. Gregor. lib. 3. epist. 37. & lib. 3. epist. 2. & Pelag. II. ep. 2. ad Eliam.

quæ Constantinopoli facta est, scire vos volo, quia in ea de Personis tantummodo, non autem de fide aliquid gestum est. Et alibi de iisdem tribus Capitulis loquens: Postquam talis scissura pro nulla facta est, justum fuit, ut sedes Apostolica curam gerat. Et Pelagius II. vocat quæstionem superfluum. Certum ergo est, quæstionem trium capitulorum intra metas fidei stetit, totumque ferè Occidentem, qui eorum damnationi subscribere renuerat, nunquam pro hæretico habitum esse. Ubi simul observes, quibus modis, quàmque ab honesto alienis fulcire suam causam Maimburgus conetur. Probandum susceperat, posse sine consensu Pontificis res fidei à Concilio defini: id verò ut persuaderet, exemplis opus erat: sed vera haud suppetebant, quid ergo consilij? falsa subornantur; Damasus, Vigilus producuntur; falso quidem uterque iudicio, sed tamen fallendis Lecto-ribus opportuno; quotus enim quisque aut tempore, aut libris abundat quærendæ ac evolvendæ veritati?



§. VI.

Respondetur ad auctoritatem Basileensis Concilij, & Universitatis Parisiensis.

SUMMARIÆ.

1. Respondetur ad auctoritatem Basileensis Concilij.
2. Frustra Ecclesia Gallicana Auctoritatem in auxilium vocari, imò eam pro Pontifice stetit multis exemplis ostenditur, ac etiam confessione ipsius Maimburgi.
3. An ex eo, quòd totum sit majus sua parte, concludatur, Concilium esse supra Papam? ubi cavillationes Maimburgi refutantur.
4. Insignis Maimburgi fallacia in citando Pij II. testimonio.

L

Pponit Maimburgus 12. Auctoritatem Concilij Basileensis: (a) hoc enim *sessione 2.* definit, Concilium esse supra Pontificem; nec posse, nisi Patres consentiant, Concilium à Summo Pontifice aliò transferri aut dissolvi. Et *sess. 3.* monitorium contra Eugenium IV. expedit, pœnâsque non obtemperanti decernit. Et *sess. 4.* prohibet, ne durante Concilio Pontifex ad promotionem novorum Cardinalium procedat. Et *sess. 7.* non posse Papam de Beneficijs Cardinalium à Concilio punitorum disponere. Et *sess. 8.* Eugenium auctoritative, & sub pœnis contumaciæ ad Concilium citat. Et *sess. 9.* rescindit omnia acta & processus ab Eugenio Summo Pontifice contra Wilhelmum Concilij protectorem factos. Et *sess. 12.* acriter in Eugenium Summum Pontificem declamat, definitque & olim in Romanos Pontifices à Concilijs animadversum esse, & deinceps animadverri posse. Et *sess. 14.* Conditiones Eugenio Papæ tribus formulis comprehensæ à Concilio præscribuntur, in quas nisi consentiat, Papatu exuitur. Et *sess. 16.* Eugenius Papa, ut ibi habetur: *citationi, monitioni, & requisitioni sacri Concilij plenariè satisfacit*: Bullas & diplomata contra Concilium à se edita, nulla & inania fuisse declarat: ipsum verò Concilium fuisse legitime inchoatum, legitimeque continuatum; quo videtur Eugenius omnia in superioribus sessionibus facta, & consequenter citationes, & sententias contra se dictas confirmasse, & Concilij auctoritatem supra legitimam Papam agnovisse. Et *sess. 17.* admittit, ut præsideant, Legatos Papæ, sed cum certis conditionibus, quarum præcipua, ne ullam in Concilium exerceant jurisdictionem coactivam. Et *sess. 18.* expressè definit, majorem esse Concilij, quàm Papæ auctoritatem, & hunc nisi obediat, posse à Concilio puniri. Et *sess. 21.* tollit Concilium omnes Annatas, & qui eas exegerit, pœnâ Simoniacis decretâ punit: ipsum verò Summum Pontificem, si aliquid contra hoc Decretum moliat, jubet Concilio deferri. Et *sess. 26.* iterum definit Papam notorie crimino-

(a) Majimb. cap. 21. à fol. 191.

criminosum jurisdictioni Concilij subiacere, ipsumque Eugenium Papam in jus vocat. Et *sess.* 29. circa medium, clarissime iterum auctoritas Concilij supra Papam asseritur. Et *sess.* 31. Eugenium suspendit. Et *sess.* 33. etiam deponit. Et *sess.* 38. Concilium Generale supra Papam esse definit, idque ad veritatem fidei Catholicae pertinere, & qui hoc pertinaciter negat, haereticum esse. Et *sess.* 39. Amadæum Sabaudiae Ducem, sub nomine Felicis V. Papam renuntiat.

In appendice ad *sess.* 17. quæ habetur post Acta Concilij, Legati Eugenij IV. Romani Pontificis, *jurant fideliter laborare pro statu & honore Concilij Basileensis, ejusque decreta defendere & manutenere, & specialiter decretum Concilij Constantiensis de subjectione Pontificis. Et aliud Synodi Basileensis decretum, quod Papa Concilio Universali obedire teneatur. Idem habet Platina in vita Eugenij IV.*

Ex his Concilij Basileensis actis sic argumentari licet: Quidquid à legitimo Concilio definitum est, & à legitimo Pontifice confirmatum, id pro vero ratoque haberi debet: sed Concilio Pontificem subiacere, & à Concilio citari, judicari, puniri que posse; & ipsa Synodus Basileensis definivit, & Eugenius Papa confirmavit tanquam ritè legitimèque facta.

Resp. Multa sunt, quæ ad Basileensis Concilij Auctoritatem dici possunt. Primò ergo aliqua in genere, tum ad singula respondendum. Concilium Basileense ab Eugenio IV. convocatum, misso Juliano Cardinali, sicque legitimè inchoatum esse, dubitari non potest; ita enim habetur in Actis Concilij Sessione primâ. Sed cum adverteret Eugenius, Basileam Civitatem opportunam non esse, solvi Concilium jubet, aliò transferendum. Hinc primæ faces discordiarum. Sed Eugenium hæ causæ moverant. *Quod* paucissimi Antistites Basileam accedere possent, ardente inter Austriae, ac Burgundiae Duces bello, Bohemis hæreticis omnes circa Regiones incurstantibus, & idè itineribus omnibus infestis, occupatisque. *Quod* Græcorum Imperator, alique ejus Imperij Principes, societatem cum Latina Ecclesia initari, Urbem in Italia peterent, tam longo itineri commodam, marique vicinam, & idè Basileam averfarentur. *Quod* ingentis momenti negotia in Concilio agitata Pontificis præsentiam poscerent; Is verò & decori, & necessitatis causâ, exire Italiâ non poterat, bellis & multi-

multibus absentiam fecuturis. Hæ Pontifici causæ solvendi Basileensis Concilij, alióque movendi. Hinc Patrum indignatio, tum seditio, & aperta defectio, ac perpetuum bellum, non cum Pontifice tantum, sed cum ipsa Pontificia Dignitate. Varia Patres concitabant. Quàm plurium ambitio tiaram captantium: Columenses Eugenio implacati, quòd eorum avaritiæ obstitisset, cum thesauris inhiâssent à Martino relictis: Dominicus Capranica, aliique, quòd Purpurâ carerent à Martino paratâ: Philippus Dux Mediolanensis, perpetuus Eugenio hostis, quòd hujus curâ Italiæ Imperio arceretur: Cardinalis S. Eustachij à Patribus Avenionensi & Venusino Comitatus contra jus fâsque præfectus, ideóque turbarum bellique gaudens, ac turbido securus: Alphonsus Arragoniæ Rex, à Neapolitanis ad solium evocatus, quod extinctâ Andegaveni Stirpe Ecclesiæ accesserat: Carolus VII. Galliarum Rex impulsu Alphonsi Arragonij, ac opportunitate Regiam potestatem augendi, Ecclesiasticâ oppressâ Basileensium favore; quod etiam consecutus est celebri illâ Pragmaticâ sanctione, toties impugnatâ, toties victrice, ac tandem deletâ. Hæc erant, quæ Basileensium animos adversus Pontificem armabant, implebantque Concilium discordijs, seditioibus, tumultu, ambitione; adèò ut non tam Synodum, quàm Eurippum crederes, ventis ac tempestatibus turbidum: & in quo vota & suffragia non veritati, sed singulorum affectui & cupiditatibus quærebantur. Quæso te, quam fidem adhibeas tam suspectæ Auctoritati, quæque ex Principum, & ambientium motu nutuque pendebat, aut vindictâ, aut cupiditate sententiam ferente? Nego ergo hanc Synodum, sed Synagogam fuisse pro tiara jurgantium: & in qua non Patres, sed Principes decernebant, nec fidei causa, sed ambitionis agebatur. Et quamvis hæc manifesta sint, nec ab alio negari possint, quàm historiæ ignaro; addam tamen confirmandæ veritati eorum testimonia, qui Concilio intererant, scribebantque, integritate ac doctrinâ celebres, omnique majores exceptione.

S. Antoninus (a) Concilium Basileense, postquam ab Eugenio Pontifice jussu dissolvi, vocat: *Conciliabulum viribus cassum, Synagogam*

(a) S. Anton. 3. p. Tr. 22, cap. 10. §. 4.

agogam Sathana, temerarium, & presumptuosum Conventum &c. B. Joannes Capistranus : (a) synodum profanam, excommunicatam, interdictam, basilicorum speluncam, Demonum cavernam &c. Joannes de Turrecremata : Nullus sana mentis vir, qui novit, cum quanta gravitate, integritate, & modestia, fidei judicia tractanda sint, judicabit esse universali consensu totius Ecclesie conclusa, Spirituque sancto dictata, in quibus hujusmodi factiones, & practica intervenerunt. Pius II. in Bulla Retractationis : Multi doctissimi viri, & sanctitate celebres scire se dicebant, Basileenses Spiritum sanctum non habere Auctorem. Beatus Albergatus teste Sigonio : (b) Cum audisset, quae in contemptum Apostolicae Sedis Basileenses decrevisset, Vir antiqua probitatis exarsit, atque graviter eorum facta increpuit, & ut in auctoritate Summi Pontificis permanerent, admonuit. Idem supra laudatus Turrecremata : (c) Talia Decreta Concilij Basileensis (videlicet contra Pontificiam auctoritatem) ad furorem quorundam hostium Apostolicae Sedis cum multitudine Populi parvi pretij, & nullius auctoritatis publicata sunt ; & ideo plures attendentes, praedicta Decreta adversa esse Sanctorum Patrum doctrinis, non modo in Deputationibus suis contradixerunt, & reclamaverunt, verum etiam in Sessionibus ipsius Concilij interesse noluerunt. Episcopus Meldensis Caroli septimi ad Eugenium Legatus, Regis sui Gallorumque nomine Basileensem Synodum (d) vesanam appellat, oratione in Cardinalium Collegio habitata. Synodus quoque Florentina (e) Declarationes Basileenses tanquam impias scandalosas, in manifestam Ecclesiae scissuram, ac omnis Ecclesiastici Ordinis confusionem tendentes damnat & reprobatae. Denique Concilium Lateranense (cui Ludovicus Galliae Rex tanquam legitimo & Oecumenico per suos Legatos se adherere professus est) Sessione undecima appellat Basileensem Synodum : Conciliabulum schismaticum, seditiosum, & nullius prorsus auctoritatis. Si ergo, ut ex adductis hactenus testimonijs liquet, Concilium Basileense schismaticum, sathanicum, temerarium, presumptuosum, demoniacum, serpentinum, factiosum, vesanum, viribus cassum, Spiritu sancto destitutum, furiosum, sanctorum Patrum doctrina, & exemplis adversum, scandalosum, reprobatum, damnatumque fuit ; amabò te, ex tali Concilio quale subsidium speres ? annon pudeat tam sordidi saedique patrocinijs ?

S 3

(a) B. Joan. Capistran. de Papae & Conc. auctor. p. 3. (b) Carol. Sigon. in Vita c. 13. (c) Turrecrem. summa de Eccl. lib. 2. cap. 100. (d) V. Rainald. ad Ann. 1441. n. 10. (e) Conc. Florent. in sess. publica anno 1439. prid. Non. sept.

trocinijs? Ego fidem adhibeam, ego moveri tam indignis testimonijs? Imò si alia omnia cessent, hoc unum suffecerit spernendæ Adversariorum sententiæ, quòd tam miseris pudendisq[ue] auxilijs sustentetur; impiam prodit tam profanus comitatus.

Dices. Synodum Basileensem tunc solùm damnatam esse, cùm Eugenium deposuit, Amadæo suffecto; tunc enim Schismatica evasit.

Resp. Constat ex allatis testimonijs, Basileensem Synodum non solùm ob evectum Antipapam, sed etiam quòd Eugenio obtemperare nollet, illumque Concilio submittere conaretur, graviter à Viris doctrinà & pietate præcipuis vapulasse, & execrationi habitam. Si enim Concilium est supra Papam, si hunc citare, punire, ac obsequium detrectantem in ordinem redigere potest; quid tandem Synodus deliquit, si Eugenio, cùm Concilio non pareret, alium Pontificem suffecit? Uta est potestate ac jure suo; non ergo Schismatica, non Sabhanica, non vesana dici debuit: aut si debuit, non tunc solùm, cùm Eugenium dejecit; sed multò maxime cùm citavit, cùm decrevit, cùm Concilio subjecit; ex his enim necessariò sequebatur, deponi etiam posse, nam ad superiorem id spectat. Nec causa deponendi deerat; si enim Pontifex Concilio subiectus, ergo non solvere Concilium, non transferre, non Patres anathemate punire, non aliud Concilium indicere poterat; quæ tamen cùm omnia faceret, nec Decretis Basileensium toties reperitis acquiesceret, meritò pœnas dabat. Si ergo Eugenius Concilio subiectus, si nocens, si obstinatus, quid mali Concilium fecit? si subiectum, & nocentem damnavit, aliùmque Pontificem delegit? Ergo Basileense Concilium aut semper, aut nunquam deliquit.

Secundò. Tantum abest, Concilij Basileensis auctoritate causam nostram pejorem reddi, ut potius maximum pro nobis ex illa argumentum sumatur. *Tum,* quia illius Decretis, quâ parte auctoritatem Pontificiam impugnabant, omnes Viri sancti, doctrinæque præcipui adversati sunt, videlicet, S. Antoninus, S. Bernardinus, S. Laurentius Justinianus, B. Albergattus, B. Capistranus, aliique, aded, ut ne quidem Sessionibus interesse voluerint, in quibusea Decreta concepta & vulgata sunt, ut testatur Turrecremata

mata paulo antè laudatus. Concilium quoque Florentinum centum quadraginta Episcoporum (inter quos Patriarcha Constantinopolitanus, ac cæterorum trium Patriarcharum Legati) & Concilium Lateranense centum quatuordecim Episcoporum, eadem Decreta execrati sunt. Ipsos Patres Basileenses adè hujus Concilij puduit, ut confertim se Eugenio adjunxerint, abscederentque Basileâ, vix viginti, unòque Cardinali relictis; & hi ut numerum supplerent, cadavera Episcoporum, qui jam vitâ decesserant, inferri Synodo jusserunt, ut à mortuis saltem suffragia impetrarent, cum à vivis non possent. Denique tota Ecclesia Orbisque Christianus, & Decreta, & audaciam Basileensium damnavit, quando illis invicis Eugenium pro Pontifice habuit; quamvis enim Basileense Concilium Eugenium accusasset, citasset, damnasset, abdicassetque, Ecclesia tamen a omnes Catholici damnatum à Concilio abdicatumque pro vero legitimoque coluit. Agnovit ergo Ecclesia tota, & errasse Basileense Concilium, & nullam in Pontifices exercere auctoritatem posse; si enim Concilium Basileense non erravit, habuitque in Pontificem potestatem, cur ergo Ecclesia, quem Concilium damnavit, quem Concilium abdicavit, pro damnato abdicatoque non habuit? Adde Concilium Basileense, postquam adversari cepit Romano Pontifici, adè discordijs, factionibus, rapinis, aliisque facinoribus fœdari cepit, sacro Conventu indignis, ut omnium confessione in Schismaticum evaserit, illique excindendo, velut communi mortali malo, Principes ferro, cælum peste armari oportuerit, quâ tandem illa rebellium acies dissipata est. Quo exemplo manifestè patuit, eandem esse Politici ac naturalis Corporis rationem; utrumque enim quamvis floridum aliàs, vegetumque amisso Capite in cadaver evadit.

Dices. Basileense Concilium, quo tempore Eugenium damnavit, non fuisse legitimum.

Resp. Quæro, quam ob causam legitimum non fuerit, nisi quia ab Eugenio solutum, & Patribus majori ex parte ad Pontificem reversis? Ergo Concilium Pontifici subjacet; alioquin invitum repugnansque dimitti à Pontifice non posset: ergo censuerunt Patres, majorem esse Pontifici, quàm Concilio potestatem; alioquin

quin Concilio potius obtemperare, quàm Pontifici debebant: & illi potius, quàm huic adhærere; nunc verò, postquam Concilium deserunt, ut Pontifici se adjungant, idque totâ Ecclesiâ probante, manifestè profitentur, majorem esse Pontificis, quàm Concilij potestatem. Quacûnque ergo ex parte Basileense Concilium aspicias, constat insigne ex illo causæ nostræ patrocinium, invitumque accedere; nunquam enim illud Sanctissimi viri (quotquot videlicet eâ ætate florebant scribebantque) nunquam Florentinum & Lateranense Concilium, imò totius Ecclesiæ consensus damnasset, quando contra tot, ac singulis ferè sessionibus pronuntiatâ Decreta, Eugenium pro legitimo Pontifice habuit, & hujus imperium Basileensium Decretis semper præhabuit. Nobis ergo militat, non Adversarijs Basileense Concilium.

Tertio. Sessionem secundam Basileensem quod attinet, in qua decernitur: *Certum legitimumque Pontificem Concilio subjacere.* Dico multis modis impugnari eam posse; constat enim, quo tempore habita est, Synodum Basileensem jam ab Eugenio solutam, revocatumque fuisse. Si ergo Synodus à Pontifice non confirmata nullius roboris est, quanto magis nullius roboris erit, non tantum non confirmata, sed positivè rejecta, rescissa, & improbata? Deinde ex supradictis, Sanctorumque Patrum testimonijs, quæ alibi produximus, certum est, non posse à Concilio definiti, nisi illa, ad quæ definienda convocatum est; & ideò Leo Primus, (a) Gregorius Magnus, (b) Paschalis II. (c) quæ in Concilij Oecumenicis, Constantinopolitano primo, & Chalcedonensi contra auctoritatem Patriarchæ Alexandrini decreta fuerant, irrita & inania esse voluerunt, ut alibi demonstratum est. Si ergo Sancti Patres ne quidem tantorum Conciliorum auctoritate, qualia Constantinopolitanum, & Chalcedonense, moveri potuerunt, ut admitterent, quæ contra auctoritatem Patriarchæ Alexandrini decreta fuerant; quanto minùs admisissent, quæ Concilium Basileense contra Romani Pontificis? An pejor causa, minorque reverentia Pontifici maximo, quàm Alexandrino Patriarchæ? aut major Basileensi Concilio, quàm Constantinopolitano & Chalcedonensi

(a) Leo I. epist. 53. ad Pulch. (b) Gregor. M. l. 6. epist. 37. (c) Paschal. II. epist. 3. ad Eliam, quæ habetur Tomo 2. Conc. p. 2. in fragm. Synodi V.

donensi auctoritas, ut quod ista in Patriarcham non poterant, istud posset in Romanum Pontificem? Nihil ergo ex Decretis secundæ Synodi Basileensis contra superioritatem Pontificis Romani deduci potest: idemque dicas ad alias sessiones, in quibus multa Pontificiæ potestati contraria statuta sunt.

Quartò. Ad sessionem 16. in qua Eugenius Bullas & diplomata à se contra Concilium edita, nulla & inania fuisse declarat: ipsum verò Concilium fuisse legitime inchoatum, legitimeque continuatum; multa responderi possunt. Cardinalis enim Turrecremata omnium conficius, testisque oculatus negat eas Bullas Eugenij, sed à Cardinalibus quibusdam expeditas, Pontifice decumbente, ærumnis morboque confecto: (a) *Andreas*, inquit, *Venetus*, *Domini Venetorum tunc Orator*, & *aliqui Domini Cardinales*, *timentes futurum magnum scandalum in Ecclesia*, *minati sunt Domino Eugenio*, nisi Bullas illas adhesionis concederet, ipsum solum recedentes relinquerent; unde presato Domino in lecto decumbente, presati Domini referuntur Bullas illas taliter qualiter expeditisse, & misisse Basileam. Neque hoc novum in Eugenio, cujus testimonio (b) constat, prolixiores illas litteras, quæ in ipsius defensionem ad Universos Christi fideles inscriptæ sunt, quæque sessione 16. recitantur, subornatas esse. Deinde certum est, quæ Eugenius in favorem Basileensium scripsit, omnium gravissimo metu, qui in hominem cadere possit, etiam constantissimum, expressa fuisse. Armis domi forisque obsidebatur: Principes omnes ab eo defecerant: Sigismundus tantum animi pendebat: Roma capta: Cardinales offensi: Schisma jam ferè constat, minæque omnium, qui supererant, defectionem inclamantium, nisi Basileensibus annueret. Quis rogo major metus injici poterat? aut quis pro validis agnoscat, toties negata, ac tandem tanto metu concessa? An jure merito non hic cum magno Athanasio (c) dicas? *Non est censenda ejus sententia, quam mina & terrores extorserunt; sed ea, quam protulit, cum liberos haberet affectus*. Denique licet Eugenius omnes Bullas revocaverit, quibus Concilium Basileense solvi jubebat, vitandique Schismatis causâ Concilium ratum legitimumque esse voluerit; nunquam tamen Decreta confirmavit, quæ contra Pontificiam Dignitatem edita in

T

Con-

(a) Turrecrem. lib. 2. cap. 100. (b) Vide sess. 16. & Spond. ad ann. 1433. n. 23. & 24. (c) S. Athanas. epist. ad solit. Vitam agentes.

Concilio fuerant; aliud enim est, Concilium esse verum legitimumque, aliud omnia, quæ in Concilio facta sunt, legitime facta esse; nam & Concilium Constantinopolitanum, & Chalcedonenſe, & Constantienſe legitima erant, & tamen non omnia, quæ in illis decreta sunt, Leo, Pelagius, Gregorius, Martinus approbârunt, ut ſuprà notatum eſt. Et quàm multa illegitimè invalidèque ſunt à legitimo veròque Principe? non ergo ſequitur, approbato concordiaè cauſâ Baſileenſi Concilio, omnia quoque, quæ in illo facta ſunt, ab Eugenio approbata eſſe. Teſtatur id Cardinalis Turrecremata, qui Eugenij verba in Concilio Florentino diſſertis recitat. (a) *Eugenius, inquit, Florentia in Diſputatione publica reſpondit ita dicens: Nos quidem progreſſum Concilij approbavimus, volentes ut procederet, ut inceperat; non tamen approbavimus ejus Decreta. Et in hoc ſapientiſſimè fecit; quis enim niſi imprudentiſſimus Princeps approbaret Decreta, quæ nunquam vidiffet, aut quæ prius non examinaffet, ſi in eis minus rectum, aut minus verum, aut minus expediens reperiretur? Lege totam Eugenij Bullam, quæ ſeſſione 16. recitatur, & ne verbum quidem invenies, quo dicatur Baſileenſium Decreta confirmari; imò, quod efficaciſſimè convincit, Legati ab Eugenio miſſi, rogatiſque, ut Decreto Conſtantienſi de ſubjectione Pontificis ſubſcriberent, ſubſcripſerunt (uti expreſſè habetur ſeſſione 17.) nomine proprio privatoque; non verò ut Legati Pontificis; quod evidentiffimo argumento eſt, aliam fuiſſe Eugenij mentem; alioquin quid opus erat proteſtari, ſe id nomine proprio, non verò nomine Eugenij præſtare velle? Idipſum teſtantur (b) Turrecremata, & (c) Spondanus. Et hæc ſunt, quæ de Baſileenſi Concilio dicenda habui ſtudio curaque veritatis.*

II. *Opponit 13. (d) Univerſitatem Pariſienſem, totamque Gallicanam Eccleſiam, ac præcipuos hujus Eccleſiæ ac Univerſitatis Doctores præferre Concilij auctoritatem auctoritati Pontificiæ.*

Reſp. Primò. Equidem aſſerere non poſſum, quid modò Univerſitas Pariſienſis, & Eccleſia Gallicana de hac re ſentiant; video enim omnes in Regis obſequium ſpectare, nullâ Canonum, nullâ Eccleſiaſtica libertatis curâ, nec tam ex ratione, quàm metu præmiſſique pendere; & quid mirum, etiam ſcholas gratiæ & favori ceſſiſſe,

(a) Turrecrem. Sum. de Eccl. lib. 2. cap. 100. (b) Turrecrem. lib. 2. cap. 100
(c) Spond. ad ann. 1434. n. 2. (d) Maimb. cap. 25. fol. 253.

cessisse, si templa cesserunt? scribunt ergo calamo Doctores, quod Episcopi docent exemplo. Cæterum paucos ante annos non hanc Ecclesiæ Gallicanæ, & Universitatis sententiam fuisse, graves testantur & oculati scriptores; nam Anno 1662. die 12. Decembris Parisijs in Collegio Claremontano Patres Societatis contra hæreses & Schisma sæculi X. hanc thesin publicè exposuerunt, defende-
runtque, videlicet: *Datur in Ecclesia Romana Controversiarum fidei Judex infallibilis, etiam extra Concilium Generale, tum in questionibus juris, tum factis unde post Innocentij X. & Alexandri VII. Constitutiones, fide divinà credi potest, librum, cui titulus Augustinus Jansenij, esse hæreticum, & quinque propositiones ex illo excerptas Jansenij esse, & in sensu Jansenij damnatas.* In hac thesi agitur quidem de sola Pontificis infallibilitate, sed ex illa aperte sequitur, Concilium non esse supra Pontificem; si enim Papa etiam extra Concilium in rebus fidei errare & falli non potest, ergo nec corrigi, nec judicari à Concilio potest, & consequenter nec Concilio subji-
citur. Patres ergo Societatis, quamvis Parisijs essent, & Parisijs docerent, non crediderunt, mentem esse Universitatis Parisiensis, aut Ecclesiæ Gallicanæ, ut Concilium Pontifici præferatur; quis enim credat aut ignorasse illos Ecclesiæ Gallicanæ sententiam, aut contempsisse? nisi fortè dicas, aliam illorum temporum, aliam istorum conditionem esse; tunc enim fortiter contra Jansenium scribebatur, quia quid Jansenio aut placeret, aut displiceret, parum intererat: nunc verò aptari calamus debet Regio favori, oportetque Pontificis auctoritatem ex Principis gratia metiri. Alia quamplurima omitto, quæ sequenti Dissertatione prolixè dicentur.

Resp. Secundò. Sed ut dixi, parum mihi curæ est, quid modò Ecclesiæ Gallicana sentiat; quærimus quid olim senserit, quando videlicet illibata innocensque florebat, veritatis, non gratiæ anxia, nec ad Regis arbitrium suspensa. Eam pro nobis stetit, sequentia clarè ostendunt.

Nam *Primò* Anno CCCCXCVIII. mortuo Anastasio Pontifice Maximo delectus est Symmachus Romanæ Ecclesiæ Diaconus. At Festus è primis senatoribus corrupto pecunijs Clero, magnam ejus partem sibi adjunxerat, & suffragia pro Laurentio S. Prædixis Archipresbytero paraverat, eodè mque die Symma-
cho

cho opposuerat, emptâ auro electione. Creditum est, id datum à Festo Anastasij Imperatoris Eurychiani gratiæ, cui, cum Constantinopoli Anastasij Pontificis Legatum ageret, pollicitus erat, se acturum, ut Roma Henotico subscriberet. Cùm ergo Schisma in Urbe flagraret, nec partium studia componi possent, itum ad Theodoricum Regem, qui pro (a) Symmacho, quippe pluribus votis electo sententiam dixit: nec id jure factum, sed necessitate ac meliorum desperatione, deque partium consensu. Festus iudicio victus ad fraudes & calumnias vertitur. Multa Symmacho flagitia imposita, præsertim adulterij, utque Pontificatu absolveretur, à Theodorico petitur. Is Episcopum destinavit, qui criminationes, causamque Symmachi examinaret, sed vociferante (b) Clero, id contra Canones fieri, nec ab alio judicari Pontificem, quam à S. Concilio posse, imò ne à Concilio quidem, nisi illud Pontifex convocasset; Symmachum rogat, Concilium indicat. Is Regi assensus Romam centum & quindecim Episcopos vocat, seque eorum iudicio spontè submittit. Audi acta Synodi Palmaris; sicut enim teste Anastasio in Honorio, Porticus Basilicæ S. Petri Palmaria dicebatur: *Memorati Pontifices (quos videlicet Theodoricus ad Synodum invitaverat) suggererunt Regi, ipsam Symmachum, qui dicebatur impetius, debuisse Synodum convocare, scientes, quia ejus Sedis primum Petri Apostoli est meritum, vel Principatus, nec antedictæ Sedis Antistitem minorum subjacuisse iudicio. Sed potentissimus Princeps ipsum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam demonstrasse significavit &c.* Sed cùm in Synodo nullus fieret disceptandi finis; Symmachus moræ & contentionum fessus, quamvis tertio vocatus negat, se amplius velle iudicio fisci, & minorum, quibus nullum in se jus esset, sententias experiri; nec Patres abnuerunt, quorum ad Regem scribentium hæc sunt verba: (c) *Nobis quid facere possimus, non remansit, nec invitum ad disceptationem nostram adducere possumus; nova res est, Pontificem Sedis istius apud nos audiri, nullum constat exemplum &c.* Inhorruit Gallia, ubi Reum Pontificem audijit, multòque magis ubi Concilium iudicasse. Ergo omnium nomine ad Festum, Symmachumque

(a) Anastasius in Symmacho (b) V. Tom. 4. Concil. edit. Paris. & Maymb. de Schism. Occident. lib. 5. fol. 295. Cassiodor. in chron. anno 500.
(c) V. Tom. 4. Concil. edit. Paris. fol. 1330. & seqq.

que Romani Senatûs capita hæc Avitus Episcopus Viennensis scribit : (a) *Dum de causa Romana Ecclesia anxijnimis ac trepidi essemus, utpote nutare statum nostrum in laceffito vertice senientes, quos omnes una criminatio percusserat, si statum Principis obruisset. In Sacerdotibus cateris potest, si quid forte nutaverit, reformari; at si Papa Urbis vocatur in dubium, Episcopatus jam videbitur non Episcopus vacillare. Sanctorum voce patet Pontificum dignitatem Sedis ejus sanctam toto Orbe Venerabilem, dum illis, quidquid fidelium est, ubique submititur, dum totius Orbis caput esse dignatur; de qua mihi videtur dictum per Prophetam: si hac humiliabitur, ad cujus confugietis auxilium, & ubi relinquitis gloriam vestram. Non facile datur intelligi, quâ vel ratione, vel lege ab inferioribus eminentior judicetur, quod Synodus ipsa venerabilis laudabili Constitutione prospiciens causam, quam (quod salva reverentiâ dictum sit) penè temerè susceperat inquirendam, divino potius servavit examini. En tibi Gallicane Ecclesie sententiam doctrinâ ac pietate florentis, quippe sub tempora baptizati Clodovæi: Non posse Romanum Pontificem in dubium seu judicium vocari: Illi quidquid est fidelium, submitti, esse totius Orbis Caput, & temerè à Synodo judicari, sed Divino tantum examini servari. Ita Gallie Antistites ante mille centum & octoginta annos sensere. Nequè dicas, id tantum de Synodo particulari intelligendum esse, non verò de Synodo Oecumenica. Respondeo vanum esse hoc effugium, omnes enim rationes, sacræque auctoritates, quæ probant Pontificem particulari Synodo, probant etiam Oecumenicâ esse superiorem: & citati Patres Gallicani expressè fatentur, Romanum Pontificem Divino tantum examini servari; quod falsum esset, si Oecumenico Concilio subjaceret. Et ita, quod maximi momenti est, Ennodius sensit; is enim & Gallus erat, nec ignorare poterat mentem Ecclesie Gallicane, eodemque tempore vixit, quo Synodus agebatur, & pro Symmacho eloquentissimè scripsit, tantoque pretio apud Patres Synodi Romanæ Apologeticum fuit ab eo conscriptum, ut redigi voluerint inter acta Synodalia, & pro doctrina Synodali ab omnibus haberi. Audi acta ipsius Synodi: *Eo recitato libello, & ab omnibus consonâ voce comprobato sancta Synodus dixit: hæc futuris temporibus reserventur, atq; ab omnibus teneantur, & ab omnibus serventur: hic libellus integerrimè synodaliter ab omnibus teneatur, atque inter**

T 3

quarta

(a) S. Avitus Episc. Viennens. ep. 2. communi omnium Episcoporum Gallicanæ nomine apud Sirmond. in Ennod.

quarta & quinta Synodorum actiones interponatur, quia Synodali auctoritate conscriptus est, & roboratus. Ad qua omnes ter una voce responderunt, ut fiat rogatus. Jam verò cum tantæ sit auctoritatis Apologeticum Ennodij, audi quid ipse sentiat de Pontificis potestate nulli humano iudicio obnoxia: Aliorum hominum causas DEUS voluit homines terminare, sed Sedis istius Praesules suo sine quaestione reservavit arbitrio: voluit B. Petri successores Cælo tantum debere innocentiam. Dicat forsitan: omnium animarum talis erit in illa disceptatione conditio. Replicabo, uni dictum: Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Si ergo DEUS Romanos Pontifices suo soli arbitrio reservavit; si voluit Cælo tantum debere innocentiam, patet illos Oecumenico Concilio minimè subdi, alioquin falsum esset eos soli Divino arbitrio reservari, & Cælo tantum innocentiam debere. Id verò tam clarum est, ut ipse Maimburgus tum Ennodij, tum Antistitum Galliæ, quorum voces Avitus Viennensis calamo expresserat, testimonijs victus libro quarto de magno Schismate Occidentis fol. 307. in hæc verba proruperit: Par l'histoire meme de Symmachus il est tout evident, que le Concile de Rome, toute l'Eglise Gallicane, Ennodius & le Canons rapportez dans le Decret de Gratien avoient déjà décidé plus de neuf cens ans auparavant, que c'est à Dieu seul, qu'on doit réserver la connoissance, & le jugement des crimes, qu'on pourroit imputer aux Papes, & conséquemment, qu'il n'y a Personne, qui ait droit de les juger, ny de les déposer, si ce n'estoit, qu'ils fussent Heretiques, car il est certain, qu'en ce cas ils ne seroient plus Papes. Hoc est: Ex ipsa Symmachi Historia certissimum est, tam Concilium Romanum, quam Ecclesiam totam Gallicanam, Ennodium, Canonisque à Gratiano citatos jam ante nongentos annos decidisse, solius DEI iudicio cognitionem, sententiâque eorum criminum reservari, quæ Romanis Pontificibus imputantur; & proinde nulli mortalium fas esse sententiâ contra illos dicere, eisque Pontificatum abrogare, nisi forte hæresi tangerentur, tunc enim certum est, eos non Pontifices quidem esse. Hactenus Maimburgus cum adhuc innocenti calamo scriberet, nec præmijs capto, & hoc ipso exemplo utitur, ut ostendat: Non licuisse Concilio Constantiensi Joannem XXIII. Pontificatu exuere, idque Senatû Regium censuisse. Si ergo ex sententiâ Caroli VII. Galliarum Regis, ejusque senatûs, ac etiam ipsius Maimburgi non licuit Oecumenico Concilio etiam tempore Schismatis, etiam in dubium Pontificem sententiâ ferre, quantò minùs licebit in unicum, verum, indubiûmque? Sed ut dixi, hæc Maimburgus scripsit

scripsit pace inter Pontificem, Regemque florente; ubi turbata est, animum ac sententiam mutavit, Regique accessit, non quod hujus causa melior, sed quia vicinior, potentiôrque, sicque pretium ex propinquo paratius. Ergo sive Concilium Romanum, sive Gallicanam Ecclesiam, sive Ennodium & Maimburgum æquè Gallos interroges; Papa omni Concilio superior.

Secundo. Facit pro hac nostra sententia egregium Ennodij Galli (qualem se sæpè profitetur) testimonium modò recensitum.

Tertio. Anno DCCC. Cùm Carolus Magnus Romæ ageret, & Leonem III. criminibus, quæ ab æmulis objectabantur, in Synodo purgari vellet, Antistites maximâ & præcipuâ parte Galli (ut testatur Anastasius in vita Leonis) in hæc verba exclamârunt: *Nos sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Ecclesiarum, judicare non audemus. Nam ipsa nos omnes, ipsa à nemine judicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit.* Ita Anastasius in vita Leonis. Si à nemine judicatur, ergo neque à Concilio Oecumenico; & nota ea verba: *Sicut antiquitus mos fuit.* Nostra ergo sententia jam dudum Antiquitati commendata fuit, nec uti falsò supponit Maimburgus, modò tyrocinium egressa.

Quarto. Anno circiter 1004. Ivo Carnotensis epist. 183. *Judicia Romana Ecclesia à nemine retractari possunt; & si quis aliquando hujus Ecclesie auctoritate prægravatum se sentiat, non debet in Ægyptum descendere propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugere, & inde expetere levamen, unde se conqueritur accepisse gravamen.* Si ergo *Judicia Romana Ecclesia à nemine retractari possunt; si ab Ecclesia prægravatus ad nullum alium recurrere, ergo Concilium non est supra Papam, alioquin hujus judicia retractari possent, & prægravatus à Pontifice, non ad hunc redire teneretur, sed posset ad Concilium provocare.*

Quinto. Anno circiter 1300. S. Thomas Aquinas, qui Parisijs didicit, docuitque, & quo Universitas Parisiensis neminem habuit doctrinâ & sanctitate majorem; is opusculo contra impugnantes Religionem capite 4. ita loquitur: *Papa habet immediatam jurisdictionem in omnes Christianos, quia Romana Ecclesia nullis Synodis constitutis ceteris Ecclesijs prelatâ est, sed Evangelicâ voce Domini & Salvatoris nostri primatum obtinuit, & illa, quæ sancti Patres determinaverunt esse juris positivæ, sunt relicta sub dispositione Papæ, ut possit ea mutare vel dispensare secundum opportunitates temporum vel negotiorum. Sancti enim Patres in Concilijs congregati, nihil statuere possunt,*

possunt, nisi auctoritate Romani Pontificis interveniente, sine qua etiam nec Concilium congregari potest. Et Quæstione de Pot. a. 4. ad 3. Romanus Pontifex hoc sua auctoritate potest (hoc est, interpretari Symbolum) cujus auctoritate sola Synodus congregari potest, & a quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsam Synodo appellatur. Quæ omnia patent ex Gestis Chalcedonensis Synodi. Nec est necessarium, quod ad ejus expositionem congregatur Universale Concilium; cum quandoque id fieri prohibeant belli dissidia, sicut in 7. Synodo id legitur, quod Constantinus Imperator dixit, quod propter imminencia bella Universalem Synodum congregare non potuit, sed tamen illi, qui convenerunt, quadam dubia in fide exorta sequentes sententiam Agathonis determinaverunt.

Sexto. Sanctus quoque Bonaventura Clarissimum Universitatis Parisiensis Lumen, & de quo Joannes Gerson ejusdem Universitatis Cancellarius verissimè dixit: (a) Nunquam talem Doctorem habuisse studium Parisiense: Hic, inquam, Seraphicus Doctor de Cœlesti Hierarchia p. 2. c. 1. Summus Pontifex, penes quem prima in terris residet auctoritas, non à Rege, non à Principe seculari, non ab homine judicatur, sed solum DEI judicio reservatur.

Septimo. Extollunt Moderni Galli Decreta Concilij Constantiensis, ac præsertim Patres Conventus Parisiensis, ut proinde hujus Concilij doctrina dici possit doctrina modernæ Ecclesiæ Gallicanæ: at Patres Concilij Constantiensis negant Concilium esse supra certum & indubitatum Pontificem, idque patet ex eo, quod quoties potestatem Concilio in Pontificem tribuunt, toties clausulam taxativam & restrictivam apponunt, videlicet: *In his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti Schismatis; super præmissis, aut ad ea pertinentibus, pro Unione Ecclesiæ &c.* Planè hæ restrictiones aperte significant, in alijs casibus, quando videlicet nec Schisma est, nec dubius Papa, nullam esse Concilio potestatem; exceptio enim firmat regulam in contrarium, quemadmodum si Episcopus dicat: *Concedimus Petro facultatem audiendi missam in sacello domestico durante morbo;* hoc ipso innueret, morbo finito, facultatem quoque sublatam: Sicque Henricus Spondanus quamvis Gallus & Episcopus Apamiensis in Annalibus Ecclesiasticis intelligendum esse Concilium Constantiense disertè, multisque in locis profiteretur: præcipuè verò ad *Annum 1415. n. 54. & ad Annum 1418. n. 5.* cujus verba postea describemus. Sed

(a) Gerson de lib. Leg. confid. 5. p. 2.

Sed præsertim Concilium suam mentem expressit, quando die 11. Septembris Anno 1417. ante sessionem 40. post trium Obedientiarum Unionem, eum tres Nationes Italica, Hispanica, & Gallica vellent prius certum Pontificem eligi, quàm ad Decretum Reformationis procedi; Germanica verò contenderet præmittendam Reformationem, tandem acquievit Germanica tribus alijs nationibus, idque jure merito, quid enim magis ad Reformationem necessarium, quàm tolli Schisma, & reddi Ecclesiæ Unionem? Post quæ, subjungunt acta, (a) *suorum facta diverse forma Decreti ad hoc; ac tandem fuit dictum, quod Papa electus ligari non poterat; ita habetur in 4. Manuscriptis Codicibus à doctissimo Schelstrato editis, relatisque in actis & Gestis Concilij Constantiensis.* Si Papa à Concilio ligari non potest; sequitur ergo Concilium non esse supra Pontificem, idè enim adversarij Concilium Pontifici præponunt, ut ligari, judicarique à Concilio possit; at Concilium Constantiense negat id fieri posse. Eàdem die, mense, & anno in Protestatione à tribus Nationibus (quarum florentissima Natio Gallicana, ut ex actis patet) contra Germanicam edita, & communi nomine à Cardinali Pisano lecta, cujus initium: *Audite hæc omnes gentes, circa medium hæc habentur: Si ante dictam provisionem Ecclesia de Pastore, aut saltem modi electionis illius, suppositis hujus Concilij Decretis, quibus omnia jura circa electionem Summi Pontificis edita dicuntur esse suspensa, sequeretur Ecclesiam DEI esse sine Capite, & sine Lege, & Ecclesia in periculo remaneret, quia vix congregaretur indubitatum Concilium deficiente Capite, ad quod pertinet convocare.* Quomodò ergo Concilium est supra Papam, quando nequidem est Concilium, multòque minùs habet auctoritatem Conciliarem, deficiente Papà? Quomodò sustineri potest, auctoritatem Concilij esse immediatè à Christo, si ne Concilium quidem esse aut dici potest, Pontifice sublato, eisque auctoritatem non præstante? Quod si defectu Pontificij consensus Concilium evadit nullum, multò magis erit nullum, Papà expressè contradicente; plus enim est, positivè contradicere, quàm tantum non consentire. Rursus in Bulla Martini V. sacro approbante Concilio facta, quæ habetur sessione ultimâ, inter alias propositiones, quæ aliquem suspectum hæresis reddunt, etiam hæc ponitur: *Papa canonicè electus*

LI

non

(a) Schelstrat. in Actis & Gestis Concil. Constant. fol. 268.

non est successor Petri, nec habet in Ecclesia DEI supremam auctoritatem. Agnoscit ergo Concilium, supremam in Pontifice potestatem, atque suprema non esset, si Concilio subjaceret; quemadmodum in statu Democratico, qualis erat Respublica Romana, & hodie Helvetica, nemo dicit supremam potestatem esse penes Consulem, sed penes Comitum Popularem. En tibi Concilium Constantiense, ipsamque Ecclesiam Gallicanam, præcipuam videlicet illius Concilij partem sententiæ nostræ subscribentem!

Oratio. Insigne Ecclesiæ Gallicanæ testimonium habemus in protestatione, quam ea ante Sessionem 40. Concilij Constantiensis contra Nationem Germanicam edidit, quodque modò antè retulimus.

Nond. Anno 1441, Carolus VII. Francorum Rex celebrato apud Biturigas Galliæ præfulum Conventu, missaque ad Eugenium IV. legatione, cujus Princeps Episcopus Meldensis, non solum Eugenium pro vero Pontifice agnovit, respuitque Decreram Basiliensiam, verum etiam Pontificis Romani supra Concilium auctoritatem palam testatus est; verba Meldensis Episcopi hæc sunt. *Nimio fervore resistendi ad hanc insaniam devenerunt (Basilienses videlicet) quod supremam potestatem in uno suppositio consistere denegant, sed eam in multitudine, quæ citò in diversa scinditur, collocant, & sic pulcherrimam Ecclesiæ Monarchiam, quæ Christianos hucusque tenuit in unitate fidei, in una professione Religionis Christianæ, in uno ritu sacramentorum, in una observantia mandatorum, in eisdem ceremonijs divini cultus, atque pacem & tranquillitatem asseruit, nunc abolere contendunt, nobilissimam Politiam, quæ beatitudinem celestem habet pro fine, ad Democratiam vel Aristocratiam redigentes. Et hoc animaduertens præfatus Rex Christianissimus vehemènti dolore ingemiscit, ac remedia ubique perquirat, ac denique consulto Prelatorum &c. Observa, quæ Galli censurâ nostram ab Adversariorum sententia distinguant; Adversariorum enim sententiam, quæ Concilium Pontifici præponit, insaniam vocant. Nostram verò, quæ Concilium Pontifici subdit, ac perfectam Ecclesiæ Monarchiam statuit; (a) Pulcherrimam Monarchiam, Unitatis, fidei, ac Religionis Christianæ, Obedientiæ, pacis, ac tranquillitatis Matrem appellant; quid poterat luculentius à Gallis dici? aut quis*

(a) Habetur tota Oratio Episcopi Meldensis apud Raynald. ad ann. 1441 ex Codice Vaticano 4177. descripta.

quis unquam sententiam nostram pulchrioribus encomijs, Adversariorum verò graviore censurâ notavit? Neque hæc solius Regis aut Episcopi Meldensis sensa fuere, sed ut in eadem Oratione habetur: *Ex Consilio Prælatorum, & aliorum multorum sapientum Regni sui, &c.* Hæc Gallus perorabat.

Decimò. Anno MDXIII. Ludovicus Galliæ Rex Legatos suos Cardinalem videlicet Sanseverinum, Claudium Seifellum electum Episcopum Massiliensem, ac Ludovicum Furbin ad Concilium Lateranense mittit, qui exhibitis Regijs litteris professi sunt: *Gallia Regem, Concilio Pisano ac omnibus in eo peractis renuntiare: Concilio verò Lateranensi tanquam Legitimo, unico, indubitato & Oecumenico adherere, & quam primum fieri poterit, effectu, ut aliqui Prælati & insignes viri nomine Ecclesiæ Gallicanæ cum sufficienti mandato submittantur, qui Concilio Lateranensi adhaereant & assistant, quemadmodum ceteræ Nationes.* Idemque Claudius Massiliensis Episcopus publicis instrumentis & litteris, (a) quas Concilio sequenti anno exhibuit, palam fecit, ostenditque: *Cabilonensem, Lexoviensem, Ambianensem, Engolismensem, & Laudunensem Episcopos, tum cum aliquot Doctoribus in Theologia, & utroque jure iter ad Pontificem sumptisse, ad renuntiandum Pisano Conventui, & adherendum Lateranensi Synodo.* In hoc autem Concilio, quod Galli pro verò & Oecumenico habuere, sessione 10. pronuntiatum est: *Solum Romanum Pontificem pro tempore existentem auctoritatem super omnia Concilia, plenamque potestatem habere Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum, idque ex sacrarum litterarum testimonio, dictis Sanctorum Patrum, sacrarumque Canonum Decretis constare, &c.* Et quamvis per modum Dogmatis definitum non fuerit, negari tamen haud potest, maximæ auctoritatis hanc doctrinam esse, utpote in Concilio Universali assertam, probatam, & cui nullus Episcoporum resistere est ausus.

Undecimò. Hanc ipsam veritatem agnovit, ac sæpè in suis professus est Henricus Spondanus Natione Gallus, dignitate Episcopus, doctrinâ eximius, parique pietate ac honorum contemptu, sicque adulationis expers, quam nemo gratis exercet. Is ad Annum 1415. n. 16. ubi agit de sessione 4. Concilij Constantiensis, ita loquitur: *Hoc Decretum sessionis 4. accipiendum est de tempore Schismatis, cum dubitaretur, quis verus esset Pontifex; de quo semel dicimus, cum apud diversos*

U 2 plu-

(a) V. acta Concilij sess. 8. & 9. Spondan. ad ann. 1514. n. 3.

plurisque ejus seculi auctores reperitur assertum, Concilium esse supra Pontificem, Papam subesse Ecclesiam, intellexisse omnes (si verba eorum diligenter expendantur) intelligendumque omnino esse, quando agitur de fide aut tempore Schismatis, quoniam si Papa forte fieret hereticus, desineret esse Papa, tempore vero Schismatis incertus est: Ecclesia autem nec unquam labi in heresin potest, nec ejus auctoritas est unquam incerta. Et ad annum 1418. n. 5. Quae ambigunt dicta fuerant de auctoritate Concilii supra Pontificem, & de potestate reformandi Ecclesiam, tam in Capite, quam in membris, ut sonare videntur, absolute sumptas nullo modo Martinus agnoscere, aut probare voluit, utpote contrarias existimatas & praxi antiquioris Ecclesiae, & collatae à Christo Domino Petro, ejusque successoribus auctoritatis potestatis, ipsiq; demum naturae rei, quae Caput debet membra regere, non regi à membris, &c. Hæc Spondanus, cui utique nemo unquam imputabit, aut ignorasse illum Ecclesiae Gallicanae sententiam, aut ab ea descivisse.

Diodecimò. Ipse Maimburgus infestus ad eò Romanæ sedis, seu nondum adulatione corruptus, seu veritati cedens; id ipsum apertissime professus est in libro de Magno Schismate Occidentis lib. 5. fol. 307. ubi cum longâ oratione, & exemplo Symmachi Papae, quod supra retulimus, ac praesertim auctoritate Ecclesiae Gallicanae tunc temporis sanctitate ac doctrinâ eximia ostendisset: Pontificem Romanum nullius Synodi, sed solius DEI judicio subjacere, hæc tandem verba ex suo adjungit: Manifestum omnino est, exemplo Synodi Romanae, testimonio Ennodij, Ecclesia Gallicana, sacrorumque Canonum à Gratiano citatorum, jam supra nongentos annos decisum esse, soli DEO judicium reservari eorum criminum, quae Pontifici Romano imputantur, suorum nulli Mortalium fas esse Pontificem judicare, aut eum Pontificiâ dignitate exuere: solâ heresi exceptâ, quam si incurrat, certum est, illum nec dici, nec esse Pontificem posse. En tibi & Ecclesiae Gallicanae, & ipsius Maimburgi manifestam sententiam! quam si postea Maimburgus mutavit, non causâ hoc vitium, quae semper eadem est, sed animi fuit, indignatione in Pontificem, amore in Principem, & cupiditate praemiorum capti, aut si hæc omnia defuere, (nec enim mortuum judicaverim) eum societas aulae corrupti, ardorque non tam vera scribendi, quam grata & placitura. Miserum si tam brevi, fluxoque pretio calamum locavit, & tempori, non aeternitati scripsit. Plura dici possent, quibus Ecclesiam Gallicanam pro nobis stare palam fieret; sed id
cotâ

totâ Dissertatione quartâ ex professo, & luce meridianâ clariùs demonstrabitur.

III. *Opponit 14.* (a) Totum est nobilius parte, & corpus est nobilius membro, idque non tantum lumine naturali evidens est, sed etiam sancti Patres testantur: S. Augustinus de Baptismo: *Totum suis partibus optimè præponitur.* Et S. Hieronymus epistolâ ad Evagrium: *Major est auctoritas Orbis, quàm Urbis.* Atqui summus Pontifex cum sit caput, est etiam pars, & membrum Ecclesiæ, ergò Ecclesia & consequenter Concilium, quod Ecclesiam representat est nobilior, & superior Pontifice.

Resp. Si ita est, ergo & Synodus Diæcesana est supra Episcopum, & exercitus supra Ducem, & Capitulum supra Abbatem, quia Episcopus est Caput suæ Ecclesiæ, & Dux caput exercitûs, & Abbas caput Capituli, poteritque Synodus Episcopos deponere, exercitus Duces, Capitulum Abbates judicare, punire, ac etiam deponere; quæ si admittantur, quis non videt solvi omnem Ecclesiasticam, humanamque disciplinam? nam si semel hæc potestas subditis permittatur, sive sigillatim sive collectim sumptis, nunquam causâ deerit obtrectandi. Imò hoc Maymburgi Principium ejus potius sententiam destruit; quippe Capitis officium est, non solum singula ac separata membra gubernare, sed universum collectumque corpus: sicut & Belli Imperator non singulis tantum militibus, aut manipulis, sed Universo exercitui imperat, præscribitque quid agere, quid omittere oporteat; & tunc primum collabi imperium Romanum cæpit, quando exercitus deligendi, deponendique Imperatoris sibi jus vendicavit; tuncque florentissimum stetit, quando, ut sub Octaviano Augusto contigit, unus omnibus imperabat immuni ac securâ Majestate; quod si aliquando penes senatum, Romanum Imperium stetit, modicâ adhuc Republica id fuit; nam dilatâ, & Orbem complexâ nunquam bellis civilibus jactari desijt, donec summâ rerum unus potiretur: Idem dicas de Ecclesia toto Orbe diffusa, quæ toties turbata est, ac discordijs scissa, quoties Pontificis imperium aut respuit, aut excussit; testes Græcia, Anglia, Germania; nec ulla hæresis prodijt, quæ non simul, eodémque tempore DEO rebel-

U 3 lis,

(a) Maimburgus cap. 25. fol. 242.

lis & Pontifici fuerit : ipsa Concilia cùm imperare, non obsequi maluerunt, quantas in Ecclesia, & implacabiles tempestates concitarunt ? nec prius composita, quàm reddita Pontifici obedientiâ, idque in Pisano, & Basileenfi Concilijs palàm fuit ; ergo ut dixi, tam non potest pax in Ecclesia, & Concilijs esse, nisi Pontifici submittantur ; quàm in exercitu, nisi uni pareat Imperatori, seque regi patiarur ; aut in corpore, nisi à Capite sustentetur, motumque accipiat ; est ergo, ut dicebam, de ratione ac bono corporis, ut regatur à Capite, non ut regat, & idèd semper magis corpori consultum est ; ut quaecunq; caput habeat, etiam eg-
rum & infirmum, quàm nullum ; & pessimus is Medicus foret, quò deponi caput, & truncari iuberet, quo corpori mederetur ; Carnificis hæc remedia, non Medici sunt. Imò hoc ipso, quòd Ecclesia est præstantior, nobiliórque Pontifice Romano, non quidem iurisdictione & auctoritate, sed extensione ac sine, (cùm Papa sit propter Ecclesiam, & propter hanc magis, quàm propter Papam Christus sit incarnatus, ac Religionem, & Sacramenta instituerit, quemadmodùm & Rex est propter Populos, & Dux propter exercitum) oportuit Pontificem Ecclesie, & Concilijs præesse, ac imperare, cùm hæc ipsa superioritas Pontificis, & subiectio Ecclesie ac Conciliorum cedat in maximum bonum, utilitatem, pacem, ac perfectionem Ecclesie, quemadmodùm & Magister est propter Discipulos, & Dux propter exercitus, & Tutor Principis propter Principem, & idèd oportet Magistrum, Ducem ac Tutorem imperare, discipulos verò, exercitum, ac pupillum subesse, quia videlicet istorum interest, subesse potius regique, quàm imperare, nec aliud magis exercitui, Discipulis, pupillisque noceret, quàm si mallent imperare, quàm obsequi. Nec obstat, quòd ridiculè obijcit Maymburgus : *Aliam, videlicet, esse Regis Ducisque rationem, aliam Pontificis ; illos enim esse non tantum capita, sed etiam Dominos, & idèd imperare & præesse, non subijci, prohibente Christo Dominatum illis verbis : Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic. Quasi verò ad solos Dominos pertineat imperare, & non etiam ad eos, qui licèt Domini non sint, jurisdictionem tamen & auctoritatem in alios habent ; num Dux à Principe bello præfectus Dominus est exercituum, quos ducit ? num Dominus Discipulorum est Magister ?*

Tu-

Tutor Pupilli, Medicus ægroti, Judex litigantium? & tamen hi omnes superiores sunt, imperantque, alij verò, qui forsan Domini sunt, obedire tenentur; sed Maimburgus non distinguit inter Dominum Jurisdictionis, & inter Dominum proprietatis; Pontifex non est *Dominus Proprietarius* Ecclesiæ, & ideo non potest pro lubitu de bonis seu temporalibus, seu spiritualibus Ecclesiæ dispo- nere; est tamen *Dominus Jurisdictionis*: nec Christus omnem Domi- natum in Ecclesia prohibet, sed tantum qualem *Reges Gentium* usur- pare solent, hoc est, cum fastu, pompa & ambitione conjunctum, Rursus prohibet Dominatum Proprietatis, & qui cedat in de- structionem Ecclesiæ, non verò Dominatum Jurisdictionis, & qui necessarius est ad ædificationem Ecclesiæ, qualis videlicet, Judici, Tutori, Medico, Pastoriq; competit, quem si ab Ecclesia tollas, quid intererit inter Ecclesiam, & Brasiliam? *At Ecclesia est totum, Pontifex est membrum Ecclesiæ, ergo Pontifex est infra Ecclesiam, & ab ista regi, & gubernari debet.* Hæc illatio tantum valet, quantum istæ: Caput est membrum corporis, & corpus est totum, ergo caput est infra corpus, & regi, gubernari, ac moveri à corpore debet; Dux belli est caput, & membrum exercitûs, ergò regi, judicari, puniri- que ab exercitu debet. Admitto Pontificem esse Caput, & mem- brum Ecclesiæ ac Concilij Oecumenici, sed nego propterea Ec- clesiæ ac Concilio subijci, nec enim est membrum qualecunque; sed membrum hierarchicum, ac principium totius motûs, ac Di- rectionis spiritualis, de cujus ratione est, ut moveat, & non ut mo- veatur; ut gubernet, non ut gubernetur, & hoc ipsum ad com- modum Ecclesiæ pertinet. Deinde Ecclesia ut opposita & sepa- rata à Pontifice, tam non est totum, quàm corpus à capite discin- dum non potest dici totum corpus; & exercitus ut oppositus ac separatus à suo Duce, non est totus & integer exercitus, sed optimâ sui parte minutus, ineptusq; victoriæ, ac hosti obnoxius. Ex quot vitijs abundat Maimburgi argumentatio? supponit enim, omnem Dominatum in Ecclesia à Christo sublatum esse: nullam esse distinctionem inter Dominum Jurisdictionis & Proprietatis: eum tantum imperare & gubernare ac auctoritatem in, alios ha- bere, qui Dominus est: Concilium à Papa separatum, eique op- positum esse aut repræsentare totum, & integrum corpus Ecclesiæ.

& alia

& alia similia, quæ falsissima omnino sunt. Sicut & illud falsum, quod Concilium sit supra Papam, quia vacante sede, aut Pontifice dubio pertineat ad Concilium de Pontifice dubio sententiam ferre, ex quo colligit, Concilium esse supra Papam etiam certum; manifesta enim est disparitas, nam Papa dubius, cum lateat, nec missionem & commissionem suam ostendat, non est caput visibile Ecclesiæ, cum de illo non constet: nec tenetur Ecclesia ei obedire utpote Commissionem suam non probanti: & quamvis vacante sede decernere, & imperare Concilium possit, quia in hoc casu supremum est in Ecclesia tribunal (sicut capitulum vacante Sede Episcopali) neque possit in rebus fidei errare; cum deficiente Capite visibili à Capite invisibili, hoc est, Christo gubernetur; secus est, postquam Caput visibile electum est, tunc enim cessat immediatus Christi in Ecclesiam influxus, qui Ecclesiam suam non aliter vult gubernare, quam per vocem ac directionem Capitis visibilis: quemadmodum ferè quamdiu Populo Israelitico humanus cibus in deserto defuit, cælesti eum pavit: at ubi Chananaeam ingressis cibus humanus præstò fuit, cælestis defuit, aliter ergo DEUS Ecclesiam regit Capite visibili destitutam; aliter Capite visibili instructam, sicut aliter pavit Israël, cum humanus cibus defecerat, aliter cum abundabat; aliter Eliam in deserto, aliter in Civitate.

IV. *Opponit 15. (a) Testimonium Pij II. Summi Pontificis. Pius, inquit, II. cum adhuc Æneas Silvius vocaretur, ageretque Basileensis Concilij Secretarium, exemplo Doctorum Parisiensium omnem nervum intendit, ut defenderet majorem esse Concilij, quam Pontificis auctoritatem: at verò ubi Pontificatum obtinuit, ex rationibus, quas facile quis imaginari sibi potest, animum induxit, ut mundo palàm faceret, se ab ea sententia recessisse, quam olim utpote de meritis ac justitia causa optimè instructus ardentissimè defenderat. Id per Bullam fecit, in qua retractat, revocatque, quæ Basilea docuerat, & tamen in hac ipsa retractatione non potuit imperare sibi, quin manifesta veritati suffragium ferret, aperiretque utriusque sententia, & quam deferebat, & quam recens complectebatur, elogium. En ejus verba: tuebamur antiquam sententiam, ille (hoc est Cardinalis) novam defendebat: extollebamus Concilij Generalis auctoritatem, ille Apostolica Sedis potestatem magnoperè commendabat. En ingenuam Pij confessio-*
nem

(a) Maimb. cap. 25, fol. 258.

nem! factur sententiam, quæ Concilij partes tuetur, antiquam esse; eam verò quæ Pontificem præfert, novam recensque inventam. At verò id ipsum est, quod nobis probandum suscepimus; quippe id solum præsentis libro agimus, ut Lectoribus ostendamus, quanam hæc in re antiquitatis mens & sententia fuerit. Ergo postquam tam solenne & irrefragabile Pij II. testimonium pro causa nostra habemus; meritò, quod etiam in alijs articulis supr. recensitis observatum est, celebre illud Cælestini I. dictum usurpaverim: Desinat incescere Novitas Vetustatem. Hactenus Maimburgus, cujus verba ex Gallico ad amussim transtuli.

Resp. Duo complectitur Maimburgi objectio. Primum est, Pium postquam Pontificatum adeptus est, opinionem de Concilio mutasse, quam eò usque altè imbiberat, parique ardore defenderat; id denotant ea Maimburgi verba: *Mais quand luy meme fut devenu Pape, il crut par une raison, que l'on peut aisement deviner, qu'il devoit faire scavoir à tout le Monde, qu'il avoit changé de sentiment, & qu'il croit alors tout le contraire de ce, qu'il avoit soutenu auparavant.* Hoc est, Postquam ipse Pontificatum obtinuit, in animum induxit, toti Mundo palam facere, se mutasse sententiam, & tunc contraria illis sentire, quæ prius defenderat. Et infra: *C'est ce qu'il fit sollemment par une Bulle, dans la quale il se retracte, & en se retractant pour declarer, qu'il vouloit suivre une autre opinion, &c.* hoc est, Hoc ipsum solemniter vigore Pontificia Bulla executus est, in qua retractat priorem suam sententiam, & dum retractat, simul profitetur, se aliam opinionem amplecti velle. Et infra: *Ce Pape qui voulut bien changer d'avis, changeant de condition.* Hoc est: *Hic Papa volens sententiam mutare, cum mutavit conditionem.* Quæ omnia aperte significant, Pium tunc primum sententiam suam de auctoritate Concilij mutasse, cum mutavit statum, rerumque potitus est. Secundum est, quod Maimburgus in ea objectione asserit: *Pium in Bulla retractionis scripsisse, sententiam, quæ Concilium Pontifici præfert, antiquam esse, quæ verò Pontificem Concilio, novam, recentemque.* Cæterum hæc duo, quæ Maimburgus allegatà ad marginem Pij Pontificis Bullâ scribit, tam sunt à vero aliena, tamque compertæ falsitatis, & ipsi Bullæ, quam allegat, contraria, ut mirer non erubuisse adeò corruptis mercibus incautos fallere, eos præsertim, quibus Bullam legendi aut tempus, aut occasio deerat, aut saltem non esse veritum, tandem fallaciam observatum iri æterno Auctoris dedecore. Primum quod attinet, certum, & ex ipsa Bulla (a) manifestum est,

X

Pium

(a) Bulla Pij II. quæ in Bullario est 10. Anno 1463. S. 4.

Pium multò antè, quàm Pontificatu potiretur, sententiam mutasse; inò cum nondum sacris ordinibus initiatus est. Audi ipsam Bul- lam à Maimburgo productam, & malignà interpretatione corru- ptam. Dicent foriàsse aliqui, cum Pontificatu nobis hanc opinionem advenisse, & cum dignitate mutatam esse sententiam. Haud ità est, longè aliter auctum, Anno salutis primo & trigesimo supra mille simum quadringentesimum, cum Domi- nico Capranica, quem Martinus V. in secreto Cardinalium Consistorio creaverat, Eugenius IV. spreverat, Basileam petivimus. Julianus aderat Cardinalis S. Angeli: Is cum ceteris prestaret, audità Eugenij revocatione, presidentiam dimisit tanquàm Summo Pontifici vellet obedire; sed cum augeteretur indies, Eugenio vel invito Concilij presidentiam resumpsit, & auctoritatem Concilij mirum in mo- dum extollens, eminentiam prima sedis suppressere cepit, & cum esset facundis- mus, facile persuasit Auditoribus, quæ cupiebat. Nos qui ex patria juvenes, non ex Urbe illum migraveramus, & nova tunc primùm avis ex Senensi Gymasio evolaveramus, rudes & inexerti vera esse arbitrabamur cuncta, quæ dicebantur: nec putabamus mentiri alios, qui nesciremus ipsi mentiri, atque ut est innotuit homini, tetra & horrenda crimina odio habebamus. Nec Eugenium amare potui- mus, quem tot, tantisque testes indignum Pontificio culmine dicerent. Et infra: Al- versus Concilij dignitatem mutire aliquid crimen hæresis fuit: Una omnium vot Concilium Eugenio præferebat. De Sedis Apostolica præcellentia aut silentium, aut contemptus, Concilium Concilium cuncta sonabant. Didicimus ergo, quæ audivimus. Et infra: Et quamvis postea Julianus S. Angeli, & Johannes S. Petri Cardinales, quibus plurimum credebamus, ad Eugenium defecissent, quamquam paucissimi in fide Basileensi remansissent, nolimus tamen credere, existimantes cunctos, qui abibant, metu recedere, ne bona temporalia perderent. Post pauca: Forè per id tempus (cum videl: Aneas in aula Friderici Imperatoris, qui neutri parti, hoc est, nec Eugenio, nec Concilio adhæreret) Julianus sancti Angeli Cardinalis ex Hungaria Viennam venit; cum eo sermonem pro veteri con- suetudine miscuimus; sæpè de rebus Basileensibus disputavimus; tuebamur antiquam sententiam, ille novam defendebat. Extollebamus Concilij Generalis auctoritatem, ille Apostolica Sedis potestatem magnoperè collaudabat, &c. Et pauld post: Ad extremum cum suis scriptis dictisque Cardinalem premeremus, vinceremúsque vehementer; subridens ille: Tu, inquit, Anea tabellis obfirmatis agis mecum, & quoniam aliquando sensimus ut dicis, idcirco & hodie idem putas debere sentire, & addictos priori sententia credis? cur non liceat omni tempore relicto falso verum amplecti? Tu qui errantem olim secutus es, cur non modo se- queris

queris recta monentem? &c. Et infra: *Hæserunt pectori nostro verba viri; quibus consideratis cecidit ab oculis nostris caligo, quæ velut aranearum tela verum cernere impediebat.* Erasmus adhuc penè Laici, quando ad Eugenij Obedientiam rediimus. Ex Basilea Clericali tantum caractere insigniti recessimus, nec unquam sacros induimus ordines, nisi post veritatem cognitam Basileensi cecitate relicta &c. Hactenus Pij Bulla, ex qua sequentia deducimus.

Primo. Pium II. non scripturæ, non Patrum, non Conciliorum auctoritate adductum esse, ut Basileensi sententiæ adhæreret, sed ut ipsemet fatetur, rerum ignorantia, inconsultâ juventute, calumnijs in Eugenium jactatis, societate & exemplis aliorum.

Secundo. Pium multò ante Pontificatum, imò penè adhuc Laicum mutasse sententiam, quam Basileæ conceperat de Concilij auctoritate; idque non Romæ, sed Viennæ in Austria, ubi veritatem ab illis edoctus est, qui Eugenium maximè impugnaverant. Quanta ergo Maimburgi aut ignorantia, ut causam suam quovis modo juraret, scribentis Pium mutasse cum Dignitate sententiam!

Tertio. Illa Pij verba: *Tuebamur antiquam sententiam, ille novam defendebat. Extollebamus Concilij Generalis auctoritatem, ille Apostolica Sedis potestatem magnopere collaudabat.* Non eum habent sensum, quem Maimburgus illis affingit; quasi videlicet Pius crederet, sententiam, quæ Concilium Pontifici præfert, fuisse in Ecclesia jam antiquam, & ab antiquis Patribus, Conciliisque receptam: quæ verò Pontifici favet, novam, recentemque: non hic, inquam, eorum verborum sensus est, sed ut apertissimè ex verbis & contextu patet, iste: Pium, cum Cardinali S. Angeli Juliano antiquam, quam olim ipse Julianus Basileæ defenderat, pro Concilio opinionem, objiceret, & pro hac olim à Juliano assertâ opinione pugnaret; Julianum econtrâ antiquæ suæ opinionis pœnitentem, novam, quam pro Pontifice amplexus erat, conatum esse Pio persuadere: primò enim contra Pontificem Julianus Basileæ scripserat, dixeratque, multòsque perverterat, & hanc vocat *sententiam ejus antiquam*: postea pœnitens pro Pontifice steterat, & hanc vocat Pius *novam Juliani sententiam*. Id ita esse luce clarius est ex suprâ recitatis Bullæ verbis. Potuitne jam rogo indignius aliud facinus cogitari, quàm hoc Maimburgi, non erubescantis tam pudendis artibus Galliam decipere, ac veritati imponere? potuitne aliquid turpius facere Tiberius, Sejanus,

Machiavellus, aut quisquis veritati bellum indixit? ego nullum huic fallaciæ aut parem legi, aut fœdiorem: ignoscerem tamen necessitate peccanti; quippe non poterat defendi pessima causa, nisi pessimis artibus, nisi eam spontè suscepisset; quod verò sine flagitio fieri non potuit, non decuit velle. Cœterum tantum abfuit, Pium in ea Bulla retractatoria sententiam, quam nos defendimus, pro nova habuisse, ut eam potiùs antiquissimam, & antiquissimis Conciliorum, Patrùmque Decretis consentaneam fateatur; sic enim ad finem Bullæ loquitur: *Veneramur Constantiense Concilium, & cuncta quæ præcesserunt, à Romanis Pontificibus nostris Prædecessoribus approbata, inter quæ nullum unquam invenimus fuisse ratum, quod stante Romano indubitato Pontifice absque ipsius auctoritate convenerit, quia non est Corpus Ecclesiæ sine Capite, & omnis ex Capite defluit in membra potestas.* Si ergo nulla fuere Concilia, quæ pro ratis haberi potuerint, nisi post Summi Pontificis approbationem; & nulla est in Ecclesiâ potestas, quæ non defluerit à Capite; sequitur omnia Concilia à Pontifice indubitato pendere, sicque doctrinam & veritatem, quam modò tutamur, tam esse antiquam, quàm sunt ipsa Concilia, imò cum istis natam.

Opponit 16. (a) Ipsi Romani Pontifices, præsertim Gelafius, Cœlestinus I. Leo, Simplicius, Martinus, Gregorius Magnus, Joannes VIII. Eugenius III. apertè profitentur: se sacrorum Canonum, Conciliorumque Decretis subiectos esse; non posse terminos Patrum præterire; non contra statuta majorum agere; contra DEUM, & Canonum Sanctiones non posse supplicantium precibus acquiescere, Pontificibus regulas dominari, non Pontifices Regulis &c.

Resp. Ad hanc objectionem jam sæpè, & invictè responsum est. Loquuntur Pontifices de Concilijs non Acephalis, & à Pontifice Romano improbatis; sed de Concilijs confirmatis, approbatisque, de quibus nulla in præsentia quæstio est. Deinde alia est subiectio quoad vim *Directivam*, alia quoad vim *coactivam*: de hac in Concilio Constantiensi dictum est: *Papam electum ligari non posse*, ut suprà ostendimus. De *directiva* certum est, nullam inferri superioritatem; nam & Papa suis legibus, & suorum Antecessorum obligatur; non idèò tamen Papa aut sibi, aut suis Antecessoribus

(a) Maimb. ch. 20. fol. 204

foribus subjectus est; & ratio est, quia vis directiva non tam ex lege humana, quam divina, & naturali proficiscitur vitandi scandalii, se conformandi cum alijs Reipublicæ partibus, ac præsertim non provocandi subditos ad contemptum Legum, quod fieret Legislatore nullas Leges curante. Deinde multa dicimur non posse, quæ licet validè à nobis fiant, non tamen honestè, non licitè, non utiliter, hæc enim à Jure Civili, & Canonico inter impossibilia reputantur, & in hoc sensu celebrem illam sententiam pronuntiârunt Imperatores, videlicet: (a) *Dignam esse vocem Majestatis Regnantis, Legibus alligatum se Principem profiteri, & majus imperio esse, submittere legibus Principatum.* Et Paulus Jurisconsultus: *Legata Imperatorem vindicare in verecundum est, decet enim tantam Majestatem eas servare leges, quibus ipse solutus est.*

Et hîc Finis esto tertiæ Dissertationis.



X 3

DIS.

(a) L. digna vox ff. de Legibus. L. ex imperfecto. ff. de Legatis 3. V. Regalè Sacerdot. fol. 445. S. Thom. 1. 2. q. 96. a. 5. ad 3. Gratian. causa 25. q. 4.